UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum ; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed Theologis ...

Indicibvs Illvstratvs Et Avctvs Concionatoriis

**Drexel, Jeremias**

**Antverpiæ, 1643**

Gazophylacyvm Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-77031

Visual Library

# GAZOPHYLACIUM CHRISTI.

## PARS PRIMA.

## CUR DANDA SIT ELEEMOSYNA.

### CAPUT I.

*Cauſſæ, & ordo dicendorum: Introductio ad ſequentia.*

Apoc. c. 3. v. 18.

MERCATOR quidam opulentiſſimus tranſeuntium quemvis invitans ad emendum: *Suadeo, tibi,* ait, *emere à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, & veſtimentis albis induaris, ut non appareat confuſio nuditatis tuæ.* Cauſſas explicat emptori, cur ſuas ipſi merces ſuadeat emendas, videlicet ut emptor candidâ ſe veſte induat, & diteſcat.

Sed quis ille tam bene nummatus è plebe, qui aurum emat, niſi forſan minutulum aliquid, quod in cōchulis vendi ſolet pictoribus? ſed animum addens mercator: *Qui non habetis argentum*, inquit, *properate, emite, & comedite. Venite, emite abſque argento, & abſque ullâ commutatione. O facilem*, inquit Nazianzenus, *contrahendi rationem! Hoc bonum ſolo voluntatis pretio emendum* B *tibi proponitur. Appetitionem ipſam Deus ingentis pretii loco æſtimat, ſitit ſitiri.*

Iſai. c. 55. v. 1. — Greg. Nazian. orat. in ſanctum baptiſma.

Sed ubi, obſecro, ubi mercator iſte? Vbique locorum eſt, modò emptores adſint, nuſquam non adiri poteſt. Opulentiſſimus hic mercator eſt Chriſtus, qui gazophylacium ſuum inexhauſtum, velut ergaſteria & tabernas mercimoniis deputatas nemini non patere vult.

Gazophilacium Dominicū quod.

Et ne lacinioſa ſit præfatio: Dominicum hoc Gazophylacium non aliud eſſe affirmamus, quàm benefaciendi ſtudium, quod miſeris ac egenis impenditur. Hoc explicare animus eſt, ut Eleemoſynæ vis incredenda nemini non perſpecta fiat.

Ordinem dicendo hunc obſervabimus. Parte primâ exponemus, *Cur danda ſit Eleemoſyna.* Parte alterâ, *Quomodo ſit danda, & quibus.* Parte tertiâ, *Objectiones, paradoxa, quæſtiones* de eleemoſynis in lucem dabimus. Illud ante omnia ſpectabimus, ut quæ fuerunt verba, fiant facta, & quod in chartâ diſſertatum eſt, reipsâ & C agendo confirmemus.

### §. I.

§ Cauſſæ ſcribendi de Eleemoſyna. Prima.

E Plurimis cauſſis ſcribendi de Eleemoſynâ ſunt iſtæ: Prima; Rhetoricam cæleſtem, Lector, vidiſti de Oratione diſſerentem; proximum ergo fuerat Eleemoſynam ſuis coloribus ſpectandam dare, ut illa Chriſtianarum actionum Triga, Oratio, Eleemoſynam, Iejunium ordine ſub aſpectum veniret.

Secunda.

Altera cauſſa; Eleemoſynæ ſtudium ad omnes homines ſpectat, ipſos etiam mendicuſos. Nec enim ullus facilè tam pauper eſt, quin pauperiori ſe largiri poſſit.

Tertia.

Tertia; Hæc largiendi virtus divinis oraculis multò commendatiſſima eſt: ſacræ paginæ nuſquam non prædicant Eleemoſynas.

A Quarta; Nemo Deum certiùs, nemo feliciùs imitatur, quàm homo beneficus. Nec priſcis hoc incognitum. Orator Romanus: Homines ajebat, nullâ re propiùs ad Deos accedunt, quàm dando; nihil habet fortuna melius, quàm ut poſſis, neque natura præſtantius, quàm ut velis ſervare plures. — Quarta. — *Tullius pro Q. Ligar.*

Quinta, & quæ plurimum urgeat, eſt ſupremum orbis judicium. — Quinta.

*Matt. c. 25. à v. 31. ad finem.*

Depingit hoc Chriſtus Matthæi calamo. Illius porrò judicii omnis pæne actio in eo videtur conſumenda, ut publicè recitetur, quis ſtipem dederit, quis negarit. Super hac unâ re Chriſtus inſtituendum ait examen, quid miſericordia præmii promeruerit, quid immiſericordia ſupplicii. Hoc certè omnibus jure merito accuratiùs penſitandum. Beatus Leo tribunal hoc admiratus: *Tanti*, ait, *æſtimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, perinde ſi omnes ii, qui dextrâ judicis conſiſtent, non aliâ virtute ullâ quàm miſericordiâ fuiſſent inclyti: neque ii, qui ſiniſtrâ ſtabunt, ullo alio vitio laboraſſent, quàm immiſericordiâ.* Cur ſiletur, quæſo, beatorum patientia, ſubmiſſio, obedientia, cur caſtitas & B temperantia, tótque virtutes aliæ tacentur? cur nulla mentio tot atrocium ſcelerum ac flagitiorum, quæ improbi audaciſſimè patrarunt? Hiſtoriolâ rem explicamus.

Introduxit civis Monacenſis in ædes ſuas amicorū optimum, eique diverſa pictorum artificia monſtrans: En, ajebat, hoc Lucæ Leidenſis penicillum, hoc Alberti Dureri artificium eſt. Hoc à manu Pauli Veronenſis venit. En etiam coloris Michaëlis Angeli artificis præſtantiſſimi. Non infimus horum, ſi non etiam anteſignanus Chriſtophorus Schwarts hanc ille tabulā pinxit. Hos verò luſus coloribus expreſſit Raphaël Vrbinas, neſcio an non pictorum ſummus. Hæc omnia mihi contra aurum chara. Sed ſcire forſitan velis, quæ harum picturarum omnium mihi maximè ſit amori. Quod olim aſtu exploravit Phryne noti nominis mulier. Cùm enim noſſe percuperet, quod inter Phidiæ opera pulcherrimum eſſet, ſubornavit ſervum, qui ſubitò advolans nuntiaret Phidiæ officinam C ab igne correptā, & bonam operum partem jam periiſſe. Exanimatus Phidias foras exiluit, &: Actum eſt, inquit, de meis laboribus, ſi Satyro, & Cupidini flammæ non pepercerint. Tum Phryne illum optimè ſperare juſſit; nil triſte accidiſſe: liquere jam ipſius artificis confeſſione, quod pulcherrimum operum ſuorum judicaret. Tu forſitan, amicorum amantiſſime, idem quæſiveris de his pictorum artificiis, quod ego minimè omnium velim ardere. Candidiſſimè fatebor, quod ſentio; hæc quidem omnia venuſta, exquiſitæ artis, & magni, non nego, pretii, nec cum gemmis mihi permutanda: Tu verò poſt viſa hæc omnia, hunc Chriſti ſpinis coronati vultum conſidera. Hæc una imago præ ceteris omnibus meum ſibi amorem vendicat, nullo mihi pretio venalis eſt. Auream Cæſarum fortunam præ hac Domini IESV effigie minùs æſtimem.

*Pauſanias in Atticis.*

Hoc

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Hoc civis Monacenſis civi ſuo candidè faſſus, artificium ſibi multò chariſſimum propoſuit ſpectandum.

## §. II.

*Cur Chriſtus miſericordiam præ cæteris virtutibus laude ac præmio donabit.*

NOn abſimili modo Chriſtus æquiſſimus judex omnia virtutum officia laude ac præmio donabit, præ ceteris tamen Miſericordiam: non quòd illa virtutum ſubliniſſima, ſed ut gens humana norit, quantum ea una ſibi placeat. Hinc illæ Domini voces: *Miſericordiam volo.* Hæc diviniſsimæ cōcionis erat clauſula: *Euntes autem diſcite, quid eſt, Miſericordiam volo, & non ſacrificium.*

*Matth. c. 9. v. 13.*

Has Domini voces beatus Cæſarius excipiens: *Eleemoſynam,* inquit, *quantam poſſumus, & quamdiu vivimus, & ipſi habere, & aliis impendere feſtinemus, ut ſecuri poſſimus in die judicii dicere. Da Domine, quia dedimus; nos fecimus, quod juſſiſti, tu imple, quod promiſiſti.* Miſericordiam vult Dominus. Sed ſingula hæc uberiùs ſuo loco.

*Cæſar. hom. 15.*

Diſcamus ergo, quod Eccleſiaſtes per adumbrationem docuit: *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* Omni tempore, inquit, animi & conſcientiæ puritatem ſummis ſtudiis tuere. Ad cæleſtes Agni nuptias tendis? veſte niveâ opus eſt. Sed & oleum non deficiat de capite tuo. Qui verò veſtis ſervabitur munda, ſi caput natet oleo? Cæleſte hoc balſamum Miſericordiæ mirè fragrans, & puriſſimum eſt. Hoc ſemper in promptu habeas, interdiu & noctu ad manum ſit unguentum iſtud. Virgines fatuæ oleo per negligentiam non aucto indormierunt cælo. Tu igitur eme ab illo mercatore ditiſsimo, eme aurum ignitum, ut veſtimentis albis induaris. Gazophylacium eleemoſynæ præſtabit hæc omnia. Eruditè dixit Petrus Chryſologus: *Homo miſericors, tot ſervos habet, quot nummos.*

*Eccleſ. c. 9. v. 8.*

*Chryſologus ſerm. 4.*

Vt verò ſcias, mi Lector, non hîc à nobis miſericordiam multùm verboſam, & parùm actuoſam deſcribi, illud Oſeæ vatis expendamus. Oſeas miſericordiam verbis & blanditiis ſolùm liberalem damnans: *Miſericordia veſtra,* inquit, *quaſi nubes matutina & quaſi ros manè pertranſiens.* Imagine ad rem aptiſsimâ oſtendit Deus, quàm inutilis ſit miſericordia, quæ ampullatur verbis, & ore non manu prompta eſt. In vere nonnumquam ita calores augent, ut agri & arva pluvias extremè ſitiant. Hinc ſupplicationes inſtituuntur & ambarvalia ad eliciendas pluvias, & ſegetis calamitates avertendas. Dum hæc fiunt, manè aliquot nubeculas aduehit, quæ ſpem faciant, & nimbos promittant. Intereà violentior increbreſcit aura, quæ nubes impellit & diſſipat. Ita ſpes imbrium expirat, & ariſſima terra ſicco iraſcitur cælo. Idem in rore antelucano eſt cernere. Poſt medium noctis rorulentæ ſtillæ velut madefactum cæli tapetium in terram dilabuntur, ſegetes & herbæ recreantur, ſed heu brevi ſolatio. Nam ſol exoriens mox omnem roris ſuccum prælambit. En talis eſt, inquit Deus, miſericordia veſtra, *Quaſi nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens.* Curta eſt, & brevis hæc beneficientia, ſpeciem habere videtur & formam, ſed nervos non habet. Cùm ad rem venitur, deſunt manus tam formoſo corpori; verba quidem bona, ſed obſequia nulla. Hinc pauperes cum voculis illis ſæpiùs dimittuntur: Deus vos juvet. Cùm tamen Deus jam olim ſevero juſſu dixerit: *Non deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ: idcirco præcipio ego tibi, ut aperias manum tuam fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum verſatur in terrâ.* Cum Bernardo dico: *Ne putes gratuitum, quod impendis pauperi; velis nolis, debitor es.*

*Oſea c. 6. v. 4.*

*Deut. c. 15. v. 11.*

## §. III.

*Ita Gloſſa.*

AIunt Hieroſolymis portam fuiſſe parvulam & anguſtam, quæ *Foramen acûs* diceretur. Hanc tranſire nequiit Camelus niſi poſitâ ſarcinâ, & ſubmiſſo poplite Gibber camelus, homo dives & opulentus variis fortunarum ſarcinis onuſtus; Cæli janua depreſſa prorſus & anguſta eſt. O cameli, ô divites, tranſire vultis? genua ſubmittite, ſarcinas deponite. Et en paratos bajulos, qui eas à vobis in ſe recipiant? en pauperum turbam. Huic ſaltem aliquid ſarcinarum committite, & per portam illam anguſtiſſimam, per foramen acûs concedetur tranſitus.

Narrant hominem flagitiis nobilem egiſſe Bononiæ. Huic in quiete oblata ſpecies, & nocturni viſus ejuſcemodi ſunt objecti. Videbatur ſibi mediis campis ab horribili ac procelloſâ tempeſtate deprehenſus. Fugam ergo molitus, ad ædes quas invenit proximas, pulſavit, & tecto recipi petivit. Ad hunc progreſſa hoſpita: Ego, ajebat, Iuſtitia vocor. Tu verò mei neutiquam amans, faceſſe hinc; tui mores familiæ noſtræ non conveniunt. Coactus igitur ad aliam domum tranſiit, & hoſpitium rogavit. Huic iterum hoſpita: Ego, inquit, Veritas hîc habito, tu verò hinc recede, mi homo, hoſtem non admitto. Hîc etiam repulſam paſſus ad tertiam domum properavit, ſed reſponſum eſt ſupplici; Hîc Pax habet: Atqui pax nulla eſt impiis, nulla, nulla. Tua te impietas ab ingreſſu arcet. Nihilominus, quia domus hæc mitiſſimos alit inquilinos, conſilium ſuggerimus. Tu porrò abi ad Pacis ſororem Miſericordiam, & admitti roga, aditum non difficilem impetrabis. Miſer & undique excluſus, hoc tamen conſilio lætus ad ædes Miſericordiæ contendit. Ad oſtium pulſanti humaniſſimè reſponſum eſt: ſuccederet tectis non ingratus hoſpes, modò cuperet ſuos mores domeſticis aliquantulùm attemperare. In hac domo neminem multitudine legum obrui; pæne unicam injungi obſervandam his verbis: *Peccata tua eleemoſynis redime.* Quare ſi velit eſſe frugi, in eam miſericordiæ legem juraret; ſumptu modico res maximas poſſe confici. At ille: Modò liceat eſſe incolam, ajebat, omnia quæ in his ædibus moris & juris ſunt, facturum me recipio. O mortales, tempeſtas vobis imminet longè horribiliſſima: Divini judicii turbo vos involvet. Agite, dum licet, & in ædes Miſericordiæ confugite. Hîc aſylum ſecuriſsimum eleemoſynis impetratur. Vel mille ſeras cæli reſerat, aperta in pauperes manus.

*Dan. c. 4. v. 24.*

# CAPVT II.

## *Quæ verè noſtra ſint bona, & quis dicendum dare de ſuo.*

*Regũ gazophilacia direpta.*

QVEMADMODVM fontes etiam abundantiſſimi demum exhauriuntur aquis, ſic arcæ argento & auro pleniſsimæ tandem inanias ſuas deplorant. Crœſi Lydorum Regis gazophylacium longè opulentiſsimum eſt direptum: Ærarium Darii Perſarum Regis multò ditiſsimum eſt deſpoliatum. Sardanapali palatium gazis pleniſsimum eſt combuſtum. Arſerunt cum Rege hæc, Budæi calculo, præter veſtes & purpuram, centies centena millia auri talenta 10000000. Vngaricorum aureorum 7000000000. ſeptingenties millies cētena millia. Ærarium Salomonis, è quo templum pęne aureum totum prodiit, omnem Regum opulentiam ſuperavit, ſed etiā hoc denique exhauſtum eſt. Cœpit & Salomon egere, ideóque cives tributis premere, & ſanguinem eorum exugere.

*Agricola ſuo calcul[o] putat Ungaricorũ aureorũ fuiſ[ſe] 573002775[...] quisgentu[...] ſeptuagi[n]ter millies & bis c[en]ties ſeptuaginta quinque millia ſeptingen[ta] quinquaginta ſeptuaginos. Athen. l. 2. Dypnoſoph. c. 11.*

Solus Rex cæli Chriſtus gazophylacium habet, quod nec diripi, nec exhauriri, nec imminui, nec comburi, nec ſuffodi, neque deſpoliari poteſt. In hoc digitum intendens: *Nolite,* inquit, *theſaurizare vobis theſauros in terrâ, ubi ærugo & tinea demoliuntur, & ubi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo,* eò nec rubigo, nec tineæ, nec fures, nec flammæ queunt

*Solũ regis cæli gazophilaciũ nõ poteſt exhauriri nec diripi.*

*Matth. c. 6. v. 19. & 20.*

queunt pertingere. Hic locus unus & unicus ab omni temporum & hominum injuriâ tutiſſimus; omnia per manus pauperum eò deportantur ſecuriſſimè. Eleemoſyna gazophylacium inexhauſtum. De hoc cœpimus diſſerere: ſed antequam progrediamur, neceſſarium prorſus indagare, quæ bona dicantur peculiaria, verè noſtra, & quænam res mancipi ſint. Ex alieno marſupio largiri facile. Hinc toties ſacræ paginæ monent, da de tuis panibus, de tuâ ſubſtantiâ, de frugibus tuis. Idcirco quid peculiariter *Noſtrum* ſit explicabimus.

## §. I.

*Quadruplex bonũ quod homo ſuum vocat: Primum Animi bona.*

QVadruplex bonum eſt, quod homo verè ſuum, & rem mancipi vocet. Primo loco numerantur Animi bona, ſeu bona Viæ, ſed interiora. Dicto Philoſophi nil notius: Omnia mea mecum porto. Sed exquiſitiùs hoc tradendum. Græciæ urbs Megara bis occupata eſt, haud multùm diverſo tempore. Primò eam Ptolemæus Soter cepit, qui pro magno ducens Stilponem abducere, pecuniam & preces obtulit, ut ſecum migraret in Ægyptum. Noluit Stilpon, ſed in patriâ etſi afflictâ permanſurum ſe affirmavit. Eandem poſtmodum urbem Demetrius Poliorcetes expugnavit, cui virtus & eruditio Stilponis non ignota, ideo virum, & omnem ejus domum ſervari, & ſi quid ereptum eſſet, reſtitui mandavit. Iuſſus igitur Stilpō complecteretur ſcripto, quid rerum perdidiſſet? Nobilem hanc vocem edidit: Nihil meum amiſi. Eruditionem enim nemo abſtulit, & ratio mihi ſcientiáque relicta eſt; omnia mea mecum ſunt. Atqui patrimonium ejus in prædam ceſſerat, & filias rapuerat hoſtis & patriam. At ille victoriam illi excuſſit, & ſe, urbe captâ, non invictum tantùm, ſed indemnem eſſe teſtatus eſt. Habebat enim ſecum vera bona, in quæ non eſt manus injectio, dominii & vindicationis ſignum. Haud aliter Bias, cùm ejus patriâ Priene captâ alius aliud fugiens auferret, interrogatus ille: Tu nihil aſportas? Nihil, ajebat, nam omnia mea mecum porto.

*Senec. de conſtantiâ ſapientis c. 5.*

Ita profectò ſcientia, virtus, doctrina noſtra eſt, ſi labore noſtro parta eſt. Quod hoſti aut prædonibus poteſt cedere, noſtrum appellari non poteſt. Omnis actio cum pietate ſuſcepta noſtra eſt. *Opera enim illorum ſequuntur illos.*

*Apoc. c. 14. v. 13.*

## §. II.

*Secundum Bona patriæ.*

IN bonis *Noſtris* ſecundo loco numerantur Bona patriæ, bona ſcilicet æterna. Ad hæc fruenda conditi ſumus. Hæc poſſideri cœpta non mors, non orcus, nulla vis, non æternitas ulla rapiet. Dilucidè ſatis Dominus, teſtante Lucâ: *Si in alieno*, inquit, *fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt, quis dabit vobis?* Quidquid nummorum aut honorum eſt, alienum eſt. Neque enim hæc nobiſcum naſcuntur, ut Ambroſius loquitur, neque nobiſcum tranſeunt. Quâ ratione & Auguſtinus: Alienas appellat terrenas facultates, quia inquit, *nemo eas ſecum moriens aufert. Nihil intulimus in hunc Mundum: haud dubium quòd nec auferre quid poſſumus.* Opes temerè obtingunt, & momento pereunt nolentibus, & crebrò etiam ante mortem: alienæ igitur ſunt, quia non ſunt perpetuæ. Ideo Chriſtus: *Quod veſtrum eſt*, inquit, *quis dabit vobis?* Noſtrum vocat cæleſtes divitias, ait Euthymius.

*Luc. c. 16. v. 12.*
*Aug. l. 2. Evang. qq. c. 35.*
*1. Tim. c. 6. v. 7.*
*Luc. c. 16. v. 17.*

Simillima dixit Theophylactus: Noſtræ ſunt divitiæ cæleſtes & divinæ, illic noſter municipatus eſt Pecuniæ, & poſſeſſiones, aliena ſunt? Noſtra igitur vocat æterna bona, non quòd Dei non ſint, aut quòd accepta Deo non referenda ſint, ſed quòd iis homo frui debeat, ut ſummo bono, finéque ultimo, ad quem creatus eſt. Noſtra ſunt ergo hæc bona, quandoquidem naturæ noſtræ maximè conſentanea, tum quia perpetua, & perpetuò noſtra ſunt. Quòd ſi aliena & non veſtra, inquit Servator, malè adminiſtratis & uſu maligno corrumpitis, quis veſtra vobis committet? Eam ob rem Chryſoſtomus exhortatur: *Bonus ſis diſpenſator eorum, quæ à Deo tibi data ſunt.*

*Chryſ. to. 5. homil 33. mihi pag. 219.*

## §. III.

*Tertium tempus.*

TErtiò *Noſtrum* eſt tempus, & adeò noſtrum, ut qui amittit tempus, dici poſſit amittere ſeipſum: qui temporis dimidium, ſeipſum mediâ parte: ſe totum perdidiſſe dicendus, qui tempus totum perdidit. Diſertiſſimè Romanus Sapiens: *Omnia, mi Lucili*, ait, *aliena ſunt. Tempus tantùm noſtrum eſt: in hujus rei unius fugacis ac lubricæ poſſeſſionem natura nos miſit. Ita fac, mi Lucili, vindica te tibi, & tempus quod adhuc aut auferebatur, aut ſurripiebatur, aut excidebat, collige & ſerva. Turpiſſima eſt jactura, quæ per negligentiam venit, & ſi volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus,* [a] *tota aliud agentibus.* [b] *Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æſtimet? qui intelligat ſe quotidie mori? Fac ergo quod facere te ſcribis, omnes horas complectere.*

*Senec. ep. 1.*
*[a] Qui otio, ignaviâ, maximè ſomno vitã terunt.*
*[b] Aliud agunt, qui occupati ſunt, ubi nõ oportet.*

Hieronymus [c] Cardanus de tẽporis diſpendio veriſſimè pronuntiavit: *Nullius rei jactura maior eſt, ſed nec ullius vilior.* Oraculum ex tripode. Tempus perdidiſſe damnorum omnium maximum, cùm tamen nullum damnũ ſentiatur minus. Ælianus [d] memorat Lacedemonios locandi temporis parciſſimos fuiſſe: hinc nullum civium qui ceſſaret & laborem fugeret, toleratum. Fuit ut ad Ephoros magiſtratum deferretur, eos qui Deceliam occupaſſent, ſolere poſt meridiem deambulare. Mox ab Ephoris decretum: *Ne deambuletis.* Noſtrum eſt Tempus, ſi illud noſtrum faciamus uſu & induſtriâ. Non adeò venuſtè ſed verè nonnemo queritur:

*[c] Cardan l. 18. de ſubtilit.*
*[d] Ælian. l. 2. Var. hiſt. c. 5.*

*Damna fleo rerum, ſed plus fleo damna dierum;*
*Rex poterit rebus ſuccurrere, nemo diebus.*

Heremiæ plorantis querimonia eſt: *Vocavit adverſum me tempus.* Putem ego non ſolùm homines religioſos, ſed quoſcunque intelligentes alios creberrimè, & non leviter delinquere, prodigalitate temporis, cùm optimas horæ particulas neglectim ſinũt elabi nihil agendo aut inutilia. Non eſt ulla pars horæ, quâ non aut fidem exercere, aut ſpem erigere, aut charitatem augere, ſubmiſſionem ac patientiam vegetare, aut aliud quippiam honeſti, ſanctíque liceat agere. Nos interim feriati homines, & ignavi ceſſatores deſidiâ, ſomno, inaniſſimis colloquiis optimos dies frangimus. Veriſſimum; Nullius rei jactura major, nullius vilior.

*Thren. c. 1. v. 15.*

## §. IV.

*Quartum, bonum quod ſincero animo pauperibus largitur.*

QVartò, bonum verè *Noſtrum* eſt, quidquid animo ſincero pauperibus largimur. Pecunia quam damus, non noſtra, ſed nobis commiſſa eſt. Siracidæ monitum eſt: *Eleemoſyna viri quaſi ſacculus* [a] *cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſervabit.* Amplum viaticum iter reddit jucundum, tantò enim proniore lubentiâ viam ingredimur, quantò eſt turgentior auro crumena. Largum viaticum comes quidẽ taciturnus, ſed perquam gratus. Liberales eleemoſynæ, viaticum ad cælum tutiſſimum. Quantò ſtipem dederis largiorem, tantò te opulentius viaticatum ſcito; ſecurus penetrabis ad beatos. Rectiſſimè dixit Ambroſius: *Sola miſericordia comes eſt defunctorum.* Quod Auguſtinus cõfirmans: *Miſericordia*, inquit, *ad Deum deducit hominem, & ad hominem deducit Deum: numquam vidi hominem pium malâ morte finire.* Eleemoſyna eſt ſacculus auri dives, & inexhauſtus. Qui pecuniam habet, habere cenſetur omnia. In mercatum aliquis proficiſcitur, qui crumenam ſecum deferat turgentiſſimam: Hic dominus eſt rerum pæne omnium, quas forũ venales ponit. Emere vult triticum? è ſacculo depromit pretium. Mercari

*Eccli. c. 17. v. 18.*
*[a] Signaculum.*
*Aug. ſerm. 44. ad fratres in ere.*
*Eleemoſyna eſt ſacculus auri inexhauſtus.*

vult

vult oleum aut vinum? reſpondere jubet ſacculum. Comparare vult corium aut pannum? cum ſacculo loquitur, & ex illo pro mercibus ſatisfacit. Pecuniâ emuntur omnia. Eleemoſyna huic tali ſacculo ſimillima. Lucrum rerum omnium Eleemoſyna.

*Loc. cit.* Recipiẽtes Eleemoſynas preces refundunt ut qui dederunt pecuniam, auctiorem recipiant gratiam.

Addit Eccleſiaſticus: *Et gratiam hominis quaſi pupillam conſervabit*. Qui enim Eleemoſynas accipiunt, preces refundunt, ut qui dederunt pecuniam, auctiorem recipiant gratiam. Nos eſſe quàm cautiſſimos par eſt, quando divinæ gratiæ theſaurum inter tot hoſtes circumferimus. Mundus, Caro, Diabolus totos adverſum nos exercitus educunt, ut gratiam eripiant, ſed bono animo, eleemoſyna cæleſtem gratiam, non ut domum ruinoſam, ſed ut humani oculi pupillam firmiſſimis præſidiis tuebitur.

Opũ, quas homo habet, nõ eſt dominus, ſed diſpẽſator.

Cùm igitur in egenos largi ac benigni ſumus, non noſtra damus, ſed ea dando noſtra facimus: nam opum, quas habemus, non domini, ſed diſpenſatores ſumus. Nos quidem jactanter dicere conſuevimus: Hæc mea veſtis, hæc mea domus, hic meus hortus, hoc prędium, hoc caſtrum, hoc oppidum meum: Hæc uxor mea, hæc filia, hi liberi, hi ſervi mei: Hi equi mei, hoc meũ pecus. Hæc vocum ludibria ſunt, & vero nomine figmenta. Et ô qualis dominus, cui hodiernâ die vel craſtinâ hæc omnia, quæ ſua jactaverat, eripiuntur, ipſe verò in tumulum dejicitur. Ideo nos priſci Patres non dominos, ſed œconomos diſpenſatores, villicos appellant.

*Chryſ. to. 5. hom. 2. ad pop. Antioc. mihi pag. 25. Idem to. 2. in cap. 5. Matth. homil. 12. mihi pag. 717.*

Chryſoſtomus hoc ſuis auditoribus è cathedrâ in os ingerens: *Idcirco*, ait, *ſæpius riſi teſtamenta legens dicentia: Ille quidem habeat agrorum vel domûs dominium, uſum verò alius. Omnes enim uſum habemus, dominium autem nemo. Etſi enim nobis per omnem vitam permaneant, nullam facientes mutationem, divitiæ, velimus nolimus in fine aliis eas cedemus, ipſarum uſu ſolo decerpto. Ne dicas mihi: tot & tot annorum proventus repoſitos habeo: Quantacumque dixeris, omnia temerè dices & incaſſum. Sæpius unâ horâ & brevi temporis momento velut vento ſupernè irruente jactabilis pulvis, ſic hæc omnia è domo exſufflantur. Cogitemus naturam noſtram; diſcamus qui ſumus. Divitiæ noſtræ non ſunt, ſed Dei: Deus enim diſpenſatores nos divitiarum voluit eſſe ſuarum, non dominos: & ideo cui voluerit, dat eas, & à quo voluerit, tollit. Illud propriè noſtrum, quod in noſtrâ eſt poteſtate habere, ſi volumus. Quomodo autem noſtrum dicatur, quod etſi volumus, habere non poſſumus, niſi nobis fuerit datum.*

§. V.

QVid ergo pecunias, quid domos, quid prædia jactamus, & noſtra dicimus, quæ noſtra non ſunt? Ea ſolùm noſtra eſt pecunia, quam liberalitate piâ noluimus eſſe noſtram. Noſtrum eſt tempus, quod uſu congruo noſtrum facimus. Noſtra eſt eruditio & virtus, quam ſedulitate conſtanti comparamus. Noſtrum eſt cœlum, quod ſudore multo emimus. In ceteris omnibus curatores & villici ſumus.

Elcearij in pauperes benignitas.

Comes Ariani Elcearius, vir omni elogio digniſſimus, tam potuit aurum generosè ſpernere, quàm benignè pauperes amare. Multa illi regia dona ſæpius oblata ſunt; multa faciundæ rei anſa eſt præbita; ſed multò ille ſapientiùs animum formaverat. Cúmque dictarent, pro labore & induſtriâ poſſe utique, ſaltem honoris & gratiæ cauſſâ accipi muneris aliquid, etiam ſine noxâ; Reſpondebat ille: Hanc animi facilitatem multis modis ſcopulum eſſe, tam accipienti munera, quàm aliis inſpicientibus. Etenim cui modeſtè ſitum eſſet initiò cor, & pudicè habita manus, eum tandem adulante auro, deſiderare, attrahere, corradere: reis autem, & quibus cauſſa juſta, ſed arca domi anguſta ſit, quid animi eſſe poſſit in ejuſmodi judicio, ubi tantùm aureis teſtibus rem agi videant. Quare cùm Elcearius à negotio ſe domum reciperet in conclave ad inſtaurandam ſibi ſolitam pietatem, quandoque dicere auditus eſt: *Tu mihi, Domine Deus, in paradiſo debes centum auri uncias, & duo panni coccinei volumina; ea mihi in cælo redhibe*. Percunctanti autem Alaſiæ, quæ dicto ſuperpervenerat, quid ſibi de hac poſtulatione vellet? reſpondit, aurum & purpuram ſe hodie, cùm habere potuerit, amore Chriſti rejeciſſe.

Vocem Chriſtianam! Elcearius in pauperes liberaliſſimus id verè habuit, quod dedit; id ſuum eſſe dixit, quod pauperum eſſe voluit.

*Greg. Turonenſ. in vitâ Lupicini, & ex eo Baron. tom. 7. anno 579. mihi pag. 877.*

Anno Chriſtiano quingenteſimo ſeptuageſimo nono, Lupicinus jam ævo gravis Chilpericum Regem adiit, cujus tunc aula Ianubę apud Burgundiones erat. Lupicino vix palatium ingreſſo; ſella Regis ad menſam accumbentis tremuit. Rex territus: Hem, inquit, terra movet. At palatinum famulitium negat, ſe quidquam motûs ſenſiſſe. Ergo protinus, ait Rex, ad portam pervolate, ne quid illic hoſtile turbet. Concurritur ad portam. Hîc religioſus ſenex horrenti barbâ, veſte incultâ Regis congreſſum expetit. Nuntiatur id Regi, qui hominem mox adeſſe juſſit. Adductum interrogans: Quis es, inquit, unde huc addes, quod munus tuum, quæ poſtulatio eſt? Cui Lupicinus: Rex, inquit, vive: ego pater ſum dominicarum ovium, quas Dominus ſpiritualibus cibis prælargè reficit, ſed alimenta corpori deſunt, ideo Majeſtatis tuæ manum benevolam ſupplices imploramus, ut ea victûs & veſtitûs ſubſidiis dignetur opitulari. Religiosâ & ſimplici ſenis facundiâ Rex delinitus promptè ac benevolè: Agros, inquit, & vineas vobis aſſignabo. Excipit Lupicinus: Da veniam, Regum optime, hæc noſtræ leges non admittunt. Sed, ſi placet, aliquid de terræ frugibus impertire, nec enim decet monachos rerum dominiis extolli. Placuerunt regi tam verecundæ preces: juſſit igitur annis ſingulis trecentos modios tritici, ejuſdémque menſuræ vinum, & centum aureos parandis fratrum veſtibus præberi. Quod regis ærarium hodiéque conſtanter pendit. Hęc Chilpericus ſeminavit non parcè, nec reverâ parcè meſſuit, novo ditatus regno, qui proximè caſurus fuerat è ſuo. *Audiant*, inquit Auguſtinus, *iſta divites, qui nolunt eſſe miſericordes. Dives & pauper duo ſibi ſunt contraria: ſed iterum duo ſibi ſunt neceſſaria. Pauperis eſt orare, & divitis erogare; Dei eſt pro parvis magna penſare. Fœcundus eſt ager pauperum, citò reddit dominantibus fructum. Via cæli eſt pauper; per quam venitur ad patrem. Incipe ergo erogare, ſi non vis errare.* Agite divites, pecuniam tunc dicite eſſe veſtram, cùm eam erogando feceritis alienam. Incipite igitur erogare, ſi non vultis errare.

*Aug. to. 10. ſerm. 15. de Verb. Dom. mihi p. 4…*

## CAPVT III.

*Cur danda ſint eleemoſynæ: Cauſſa prima: Dei in nos liberalitas. Altera: Quidquid pauperi datur, Chriſto datur.*

INTER ſelecta & diverſa prorſus epitaphia, illud non nemini ſingulariter probatur;

HABEO QVOD DEDI,
PERDIDI QVOD SERVAVI.

Superiore capite demonſtravimus, id propriè fieri noſtrum, quod in pauperes tribuendo fecerimus alienum. Quapropter eorum omnium ſepulchris, quorum liberalitas egenos fovet, hanc epigraphen inſcribere licebit: *Habeo, quod dedi*.

*Senec. l. 6. de benef. c. 3.*

Annæus Seneca id, quod diximus, illuſtriſſimè confirmans: *Egregiè*, inquit, *mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poëtam, cùm fortunam ſuam tranſeuntem aliò videbat, & ſibi nil relictum præter jus mortis, exclamare: Hoc habeo, quodcunque dedi. O quantum habere potuit, ſi voluiſſet!*

Hæ

*Hæ ſunt divitiæ certæ in quacunque ſortis humanæ levitate,* A *uno loco permanſuræ: quæ quò majores fuerint, hoc minorem habent invidiam.* Mens igitur Antonii erat, Hoc unum habeo, quod non habeo; dedi & depoſui apud alios.

Alphonſus ille laudatiſſimus Aragonum Rex, cùm quiſpiam familiariùs quæreret, quid ſervaret ſibi, qui tam multa multis donaret? Ea ipſa, reſpondit, quæ dono. Nimirum ea ſolùm pecunia eſt noſtra, quæ ſpargitur in egenorum commoda. Hæc autem parum eſt dicere, ſcribere, proclamare; iſta etiam eum priſcis canere conſultum: Ita olim priſca laurus præcinit:

*Mart. l. 5. epig. epigr. 43. unicâ mutatâ voculâ.*

*Extra fortunam eſt, quidquid donatur egenis;*
*Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.*

Ad vitæ finem quilibet noſtrûm non poterit non fateri: Quod perdidi, hoc ſervavi; hoc meum eſt, quod pauperibus donavi.

B Quando igitur diſſertationis noſtræ totius partes fecimus, ordiamur explicare primam. Cur danda ſit eleemoſyna; eius rei cauſſam unam alterámve dabimus.

§. I.

ANtequam cauſſas ordine locemus, Antonii dictum, *Hoc habeo, quodcunque dedi,* confirmatiùs reddendum. Hîc ego pace veſtrâ, divites, non multa & prolixa, ſed auribus parum blanda cenſui præmittenda. Offendit forſan, quod ſuperius caput affirmavit, nos rerum, quas noſtras dicimus, non eſſe dominos, nec ea noſtra eſſe, quæ paſſim jactamus? Hoc ipſum laudatiſſimus inter omnes veteres ſcriptor, & virtutis ſtudio pæne Chriſtianus, Annæus Seneca planiſſimè affirmans: *Poteſt eripi domus,* ait, *& pecunia, & mancipium: beneficium (in pauperes collatum) ſtabile & immotum eſt. Nulla vis efficiet, ne hic dederit, ne ille acceperit.* C *Quid tamquam tuo parcis? Procurator es. Omnia illa, quæ vos tumidos, & ſupra humana elatos, obliviſci cogunt veſtræ fragilitatis, quæ ferreis clauſtris cuſtoditis armati, quæ ex alieno ſanguine rapta veſtro defenditis, propter quæ claſſes cruentaturas maria deducitis, propter quæ quaſſatis urbes, ignari, quantum telorum in adverſos fortuna comparet; propter quæ ruptis toties affinitatis, amicitiæ, collegii fœderibus, inter contendentes duos terrarum orbis eliſus eſt; non ſunt veſtra; in depoſiti cauſſâ ſunt, jam jámque ad alium dominum ſpectantia, aut hoſtis illa, aut hoſtilis animi ſucceſſor invadet. Quæris quomodo illa tua facias? donando. Conſule ergo rebus tuis, & certam tibi earum atque inexpugnabilem poſſeſſionem para; honeſtiores illas non ſolùm, ſed tutiores facturus. Illud quod ſuſpicis, quo te divitem ac potentem putas, domus eſt, ſervus eſt, nummi ſunt: cùm donaſti, beneficium eſt.* Et quidem beneficium Chriſto ipſi collatum. Chriſtianis res certiſſima: ſed jam aſſignamus cauſſas, cur danda ſit eleemoſyna.

*Senec. l. 6. de benef. c. 3.*

*Sicut inter Cæſarem & Pompejum; inter Augustum & Antonium.*

D Prima cauſſa: Deus omnia, & noſipſos nobis dedit: quidquid poſſidemus rerum, à Deo eſt, qui ſuum inſuper unigenam cumulo beneficiorum addidit: *Sic enim Deus dilexit Mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Hoc contemplatione Chryſoſtomus expendens: *Ipſe,* inquit, *nec unigenito pepercit propter nos: nos autem & pecuniis parcimus contra noſipſos. Ipſe & legitimum pro nobis filium tradidit: nos verò nec argentum propter eum contemnimus, ſed neque propter nos. Et qualiter hæc veniâ fuerint digna! Quid itaque differs & torpes, cùm jam tanta receperis, & tot expectes?*

1. Cauſſa, Cur danda ſit eleemoſyna. *Ioan. c. 3. v. 16. Chryſ. to. 5. hom. 32. & 33. ad pop. mihi pag. 214. & ſeqq.*

Addit, ut erat in ſuos candidiſſimus: *A gehennâ vos nemo eruet, niſi à pauperibus auxilium conſequamini.*

Nos quidem Pſaltæ vocibus Deum precamur: *Miſerere mei ſecundùm magnam miſericordiam tuam.* Non parvam, non quotidianam aut ſolitam, ſed magnam

*Pſal. 50. v. 2.*

A & inſolitam miſericordiam poſcimus: Nos autem nec ſecundùm parvam miſericordiam indigentium miſeremur. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Miſericordia magna eſt, cùm aliquis egeno dat quantum poteſt, imò quod ſubinde ſit, quantum habet.

*Matth. c. 9. v. 13.*

Narrat optimâ fide Petrus Damianus eruditus, & notæ ſanctimoniæ ſcriptor, fuiſſe patremfamilias, tenuiſſimæ fortunæ mercenarium, ſed pium. Huic unicus erat ſeſtertius, quo aliquod oleris, aut alterius edulii emendum. Cùm autem lautioris cibi expertem prorſus & ignaram haberet gulam, vel ſemel ſaltem lautiuſculè prandere cogitabat. Diu autem verſabat animo, quid eâ monetâ præſtinaret culinæ. Dum deliberat, adeſt mendicus & ſtipem rogat. Ille anceps animi, velut intra ſacrum & ſaxum concluſus hæret, nec quid agat, ſatis diſpicit. Stipem negare pauperi, durum; ſolatiolo jam conſtituto genium B fraudare, acerbum. Sed vicit demum ſpiritus carnem, Quare illam Evangelii viduam imitatus, quod & quantum habuit, hoc dedit. Gaudio erat, Deum debitorem largiſſimum acquiſiiſſe, qui poſſit, & velit ingenti fenore ſibi data reddere. Ita domum redit; omnis paratura menſæ, pro more panis aridus eſt; ſalinum quidem tenue, ſed conſcientia ſpe bonâ dives ſolabatur, & damnum carnis compenſabat lucrum pietatis. Paullò pòſt præter ſpem famulus ignotus & ſudans accurrit, qui viginti ſolidos telâ involutos porrigens: Hoc tibi, ait, meus herus imperavit dari: properandum eſt, nam expectat me. Ita evanuit iſte, dum alter plura quærere, & gratias agere pararet.

*Petr. Damian. to. 1. l. 1. epiſt. ep. 15. ad Alex. II. Rom. Pontificem mihi pag. 21.*

*Solidus.*

*Bona eſt oratio, ſed cum eleemoſynâ. Date, & dabitur vobis. Beatius eſt magis dare quàm accipere.* Et hæc miſericordia magna, & raræ laudis eleemoſyna eſt, cùm quis omnia, quæ habet, largitur, & penuriam ſentit. Nos plerumque damus, ſed argenti ſuperficiem radimus, nec inde ullam ſentimus inopiam. Sed nec iſtam C liberalitatem Deus aſpernatur. *Hæc itaque cogitantes,* ait Chryſoſtomus, *& noſipſos, & filios, & neceſſarios in eleemoſynæ diſciplinam ducamus. Et hoc ſuper omnia diſcat homo,* (notetur, obſecro) *quoniam & hoc eſt homo. Magnũ enim & pretioſum, vir miſericors. Itaque niſi hoc habeat, eſſe deſiit homo. Hoc ſapientes præſtat. Et quid admiraris, ſi hoc eſt Deus & hoc homo? ait enim:* Eſtote miſericordes, ſicut pater veſter. *Diſcamus itaque miſericordes eſſe, omnium cauſſâ, maximè quoniam & nos multæ indigemus miſericordiæ, & neque vivere putemus per id temporis, quo non miſereamur.*

*Tob. c. 12. v. 8. Luc. c. 6. v. 38. Act. c. 20. v. 35.*

*Chryſ. to. 5. hom. 33. ad pop. ante med.*

*Luc. c. 6. v. 36.*

§. II.

ALtera cauſſa, cur danda ſit eleemoſyna: Quidquid pauperibus damus, Chriſto damus. Ipſum Chriſti chirographum produco: *Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* D Hoc orbis Iudex, coram omni humanâ gente pronuntiabit.

2. Cauſſa. *Matt. c. 25. v. 40.*

Si Philippus II. Hiſpaniarum Rex in Indiam iturus filium ſuum Philippum III. regni hæredem, ad Reipublicæ clavum & gubernacula reliquiſſet, quibus aliis verbis eum Hiſpaniæ magnatibus commendaſſet, quàm his ipſis: Quidquid obſequiorum filio meo præſtiteritis, mihi præſtitum cenſebo. Ita Chriſtus, & quidem jurato promittens: *Amen dico vobis,* inquit, quidquid pauperibus dederitis aut feceritis, id mihi datum factúmque interpretabor: nec enim id aliter remunerabor, ac ſi mihi ipſi hoc beneficientiæ genus fuiſſet exhibitum.

Salomon eleemoſynæ frequentiſsimus encomiaſtes: *Feneratur Domino,* inquit, *qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem reddet ei.* Quicumque erga pauperem beneficus eſt, dat Chriſto mutuum, quod ad eum, qui dederit, cum fenore ampliſsimo redibit. Hic genuinus

*Prov. c. 19. v. 17.*

*Baſil. in pſal. 41.* Eleemoſyna data pauperi donum eſt & lucrum.

dicti ſenſus eſt. Hinc Baſilius magnus ad exercendam hanc fenerationem exſtimulans: *Quale*, inquit, *hoc mutuum eſt? Intellige dicti efficacem vim, & legiſlatoris humanitatem admiraberis, Quando pauperi das in Domini gratiam, & donum, & lucrum eſt. Donum quidem, quod à paupere non ſperes te recepturum: lucrum verò, quia Dominus promiſit cumulatiſſimam remunerationem pro exiguis beneficiis, quæ in pauperes conferuntur. Nec enim frigidæ caliculus, Dei nomine porrectus, præmio carebit.* Ita pauperi datum longè verius mutuum eſt, quàm donum. At, inquies, hic fidejuſſor optimus quidem eſt, & locupletiſſimus, ſed ubi ſyngraphum, ubi cautio? Ambroſius expeditiſſimè reſpondens: *Evangelium ejus cautio eſt*, inquit ille, *promittit pro omnibus indigentibus, ille dicit fidem, quid dubitatis dare? Si quis vobis dives offeratur, qui fide promittat ſuâ pro aliquo debitore, ſtatim numeratis pecuniam: pauper eſt vobis Dominus cæli, & conditor mundi, & adhuc deliberatis, quem idoneum quæratis fidejuſſorem? Dominus ſcribit, quidquid egenus acceperit.*

*Ambr. l. de Tobiâ c. 16.*

*Chryſ. in Pſal. 38.* † *Mihi dat mutuam pecuniam.* * *Prov. c. 19. v. 17.* Cur Deus dicat ſibi fenerari qui miſeretur pauperis.

Hoc ipſum explicans Chryſoſtomus: *Videndum eſt*, inquit, *cur Deus dixerit:* Mihi feneratur, † qui miſeretur pauperis, * *quoniã novit avaritiam noſtram ad majora & plura propenſam, nec unquam eum, qui pecunias habeat, velle ſine fide, & quaſi ſecuritate credere. Petit enim creditor vel hypothecam, vel pignus, vel fidejuſſorem, hiſque tribus quaſi ſecuritatibus fretus pecunias ſuas credit. Quia igitur intelligit Deus, pauperem his omnibus deſtitutum eſſe, medium ſe, & quaſi ſequeſtrum præſtat, pauperi quidem ſponſorem, pignus autem vel hypothecam creditori. Non habes, inquit, huic fidem propter inopiam, mihi crede propter copiam. Ne time, mihi feneraris.*

Conſtat igitur illud mercedis ac præmii auctarium, quod homini in egenos largo redditur, rectiſſimè fenus & uſuram dici, quæ principalem ſummam nimio quanto intervallo ſuperat; nec dives hîc ullum aut lucri pereuntis, aut damni emergentis, aut periculi imminentis titulum afferre poteſt.

## §. III.

HIc veniâ veſtrâ dixerim, Chriſtiani, aurum aliis crebrò commodatis, fenus etiam ſubinde agitatis, ſed turpiſſimum & planè non Chriſtianum. Et quàm fœda eſt feneratio illa, cùm ad eum, qui pecuniam dat mutuam, non uſura centeſimæ quincunx, ſed ſemiſſis, ſed bes centeſimæ, imò etiam, quod duplo iniquius, cùm uſura ex aſſe ſeu libralis exigitur. Imò quod amplius & longè turpius: Sunt qui hac lege cõmoditent: cùm centum floreni in medium annum petuntur, dant ipſi nonaginta, ut elapſo anni dimidio recipiant centum. Neque hîc funebre malum conſiſtit: Non nemo decem florenos ſolis quatuordecim diebus commodat, ſed pro ære hoc commodato philippeum ſeu ſeſquiflorenum exigit. Quid igitur uſura reddet annua pro mutuis centum florenis? Hem dedecus, & labem Chriſtiani nominis!

O quantò melius fenerari, & aurum commodare Chriſto! ſed quam inde, inquis, ſperare me jubes uſuram? num unciariam? num uſuram? num centeſimæ quadrantem, num trientem? Non fallam te, mi optime Chriſtiane, tu modò diſce Deo fidere. Olim uſura erat unciaria, pro annuis centum florenis mutuis redibat unus: Chriſtus jam olim hanc legem antiquavit, & pro floreno unico centenos voluit à ſe repeti. Apertiſſimè id Petrus Chryſologus affirmans: *Vſura Mundi eſt*, inquit, *centum accipere & unum pro cenſu reddere; Deus unum accipit, & centum reddit. Et tamen homines cum Deo nolunt habere cõtractum. Sunt forſan de cautione ſolliciti? Quare? homo homini exiguæ chartulæ obligatione conſtringitur, Deus tot & tantis voluminibus cavet, & debitor non tenetur? ſed dicis, eſto quòd debeat, quo exigente reſtituet? ſe ipſo; quia non poteſt ille mentiri. Idem ipſe eſt & executor, & debitor. Non erit in reddendo durus, qui profuſus eſt in largiendo. Age igitur, avare, fac tibi ſacculos, & fac jubente Deo, quia votis tuis annuit divina majeſtas. Sed fac tibi ſacculos erogando: quia quidquid pauper acceperit, pater cæleſtis ſuſcipit. Et ubi recondit? in cælo: Et ne fortè perdidiſſe te doleas uſuram, centuplum in cæleſti fenore recipies, quidquid in cælum paupere tranſmiſeris perferente.* Ergo quod Gregorius Nazianzenus metro docet,

*Petr. Chryſol. ſer. 25. fine mihi pag. 71.* Verba Chryſologi: *Vſura mundi centum ad unum; Deus unum accipit ad centum.*

*Tu debitorem præfer omnibus Deum;*
*Fruſto rependit ſceptra qui cæleſtia.*

*Laud... Damaſ... in paral... l. 2. c. 15.*

Chriſtus confeſſi nominis, & fidei certiſſimæ debitor, non ſubducit ſe, non declinat, non fugit creditores ſuos, ſed eos maximè amat, quibus plurimum debet; vult exigi nomina, & multis in noſtro etiam hoc orbe repræſentat mutui ampliſſimam uſuram.

## §. IV.

*Chryſ. ... hom. 33. ad pop. ... pag. 306. & hom. ... ep. ad ...*

PRæter alios tot teſtes id aſſerens Chryſoſtomus: *Deus*, inquit, *quibus maxime debet, hos maximè diligit. Itaque ſi vis eum ſemper amicum habere, multorum conſtitue debitorem. Nec enim ita fenerator debitores habens gaudet, ſicut Deus creditores habens delectatur. Et quibus quidem nihil debet, hos refugit; quibus verò debet, ad hos accurrit. Igitur omnia faciamus, ut ipſum habeamus debitorem. Hoc enim fenorum tempus eſt, & nunc in neceſſitate conſtitutus eſt. Niſi igitur nunc ei dederis, poſtquam hinc migraveris, tui non indigebit: hîc enim ſitit, hîc eſurit; Cur igitur non das ei, qui plura daturus eſt? fortaſſe quòd multo poſt tempore dat? Atqui in hac etiam vitâ dat. Verus eſt enim ſermo ille: Regnum cælorum quærite, & hæc omnia addentur vobis. Vides liberalitatis ac munificentiæ magnitudinem; illa tibi, ait, aſſervata ſunt, nec minuentur, ſcilicet æterna. Cùm interim hujus ſæculi bona, tanquam additamenti & corollarii loco largior.* Sin expectare te velit, ut loco meliore fenus promiſſum reddat, tu ei non ſolùm non obmurmura, ſed gratias age, & ipſe tibi gratulare. Sed à pari rem captes.

*Matth. ... v. 33. & Luc. c. 12. v. 31.*

Civis Monacenſis Vngarorum uni aureos mille debebat quos creditor obſtinatè voluit hîc Monachii reponi. Hunc civis Monacenſis fideliſſimè monens: Confeſſum nomen eſt, ajebat, & quâ voles horâ id expungam, ſed damnum tibi duplex inde proveniet. Primum; acceptum æs per tot bellorum incendia in patriam non perferes; milites, ut noris, ad nummarium odorem ſagaciſsimi ſunt. Alterum: ſi hîc Monachii cogar nomen expedire ſeſtertios dabo, nec enim aliam in promptu monetam habeo, quæ tibi, ſat ſcio, jacturæ erit. Sin autem moræ patiens expectes, dum in patriam redieris, collybo pecuniam reddi curabo, ita probatiſsimi auri ducatus recipies, cum lucro ſingulos. Planè fatuus ſit, qui expectare nolit: Ita Chriſtus nobiſcum amantiſsimè paciſcitur. Num eleemoſynæ veſtræ uſuram in exilio, an in patriâ redhiberi vultis? Hîc certè vobis, non mihi metitur. In exilio placet? moneta longè vilior, res fluxæ reponentur; ſentietis jacturam. Placet expectare, & in patriâ recipere fenus? veſtro id lucro fiet, & quidem maximo; felicitas æterna, & auctior reddetur.

## §. V.

*Chryſ. ... ho. 15. ... 5. Matth. mihi pag. 126.* Deus eſt debitor, qui non tantùm ... tum ... exſolvere, ſed etiam facit ut maneat in tuto.

HÆc Chryſoſtomus ad verbum exprimens: *Deo*, inquit, *feneratus es, ipſum repoſce. Sed non in præſenti tibi cuncta reſtituet. Verùm hoc quoque ſuo commodo facit. Eſt quippe talis hic debitor, non qui, (ut alii) feſtinet ipſum tantummodò mutuo datum exolvere: ſed agit omnia, ut quod datum eſt, maneat in tuto. Propterea hic quidem reddit ex parte, maximum autem tibi in futuro theſaurum reſervat. Hæc ſcientes miſericordiæ operibus liberaliter affluamus, plurimùmque amorem oſtendamus in pauperes, eóſque non pecuniis ſolùm, verùm etiam ceteris operibus adjuvemus.*

Idem

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*Auguſt in pſal. 63.* Idem Auguſtinus ingerit his verbis: *Quid ergo, inquis, facio, ut ſim utilis fenerator? Attende, quid facit fenerator, minus vult dare certè, plus accipere: hoc fac & tu, da modica, & accipe magna. Vide quàm latè creſcat fenus tuum; da temporalia, & accipe æterna; da terrena, & accipe cælum.* Vtrum ergo Chriſtum habere vis judicem, an debitorem? debitor creditorem veretur, judex reum non veretur.

*Ambr. to. 5. ſerm. 81. mihi pag. 804.* Auguſtini præceptor Ambroſius luculentiſſimè: *Chriſtus,* inquit, *ſe ſuſcipere profitetur. Quid ergo agis ô dives, quid cogitas, quid deliberas? Chriſto eſuriente, tu horrea tua claudis? Imò non claudis, ſed minora deſtruis, & majora reædificas? Chriſto indigente veſtitu, tuæ veſtes tineis conſumuntur? Chriſto indigente tu aurum quæris, aurum deſideras, aurum recondis, omnia aurum vides; aurum tibi vigilanti cogitatio eſt, & ſomnia dormienti. Sicut enim ii, qui per inſaniam mente tranſlati ſunt, non jam res ipſas, ſed paſſionis ſuæ phantaſias vident; ita etiam mens avari ſemel vinculis cupiditatis adſtricta, ſemper aurum, ſemper argentum videt, ſemper reditus computat. Gratius aurum intuetur, quàm ſolem videt. Ipſa ejus oratio & ſupplicatio ad Dominum, aurum quærit, & vellet atque optaret, ut omnia ei in aurum converterentur.* Hîc ſeipſum quis interroget, an non aurum plus amet, quàm Chriſtum? Plus, inquis, Chriſtum diligo quàm aurum. Verbis tuis, mi homo, crederem, niſi aliud clamarent facta tua. *Ibidem.* *Vos autem fratres,* inquit Ambroſius, *ſi mihi auſcultatis, reſerate aditus promptuariorum veſtrorum, & largior divitiis veſtris atque fluentior exitus procuretur, quàm quæſitus fuerat ingreſſus.*

Quocirca quidquid ærarii, quidquid nobis eſt peculiolæ, id liberaliter cum egenis partiamur; argentum fenori locemus, mutuam Chriſto pecuniam demus: fideliſſimus ſponſor, opulentiſſimus debitor, certiſſimus largitor eſt, qui miſericordiam vult & non ſacrificium. Cùm mors in conſpectu erit, fateri quilibet noſtrûm cogetur: Hoc habeo, quodcumque dedi; perdidi quod ſervavi.

## CAPVT IV.

### *Veriſſimè ipſi Chriſto dari, quidquid datur pauperi, explicatiùs traditur.*

*1. Tim. c. 6. v. 10.* R*Adix omnium malorum eſt cupiditas*, dixit Tarſenſis Paulus. Quòd ſi vera philoſophorum enuntiatio: Contrariorum eamdem eſſe rationem; porrò dicendum erit: Liberalitas cupiditati oppoſita radix omnium bonorum. Quô illa Chriſti verba pertinent: *Matt. c. 13. v. 12.* *Qui habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo.* Qui gratiam piæ liberalitatis in pauperes habet, huic Deus multiplicem ſubindè vicem rependit, etiam in hâc vitâ; æternum illic præmium, *Et abundabit.* Qui verò hanc erogandi gratiam non habet, hîc rerum pæne omniũ inops erit, & quod putat ſe habere, auferetur illi. Perinde ſi dixiſſet Chriſtus: Videte mei diſcipuli; proverbium quod in plebe invaluit, etiam ad ſuperos obtinuit: Ditioribus datur, pauperibus ſemper aufertur. Siquidem ei, qui miſericordiâ non caruerit, addetur facultatum plurimum: qui miſericordiâ deſtitutus fuerit, nec commodè fruetur poſſeſſis, neque potietur optatis. Cupiditas radix omnium malorum. Liberalitas ergo radix omnium bonorum.

Atque de hac radice cœpimus diſſerere. Cùm verò illud cæleſte placitum: Chriſto dari, quidquid datur pauperi, exactiſſimè intelligendum, & animo penitiſſimo ſit affigendum, ſuper eo nunc plura & explicatiùs trademus.

A §. I.

*Quidquid datur pauperi, Chriſto datur, eſt ſolidũ liberalitatis fundamentum.* SOlidiſſimum liberalitatis ſanctæ fundamentum eſt iſtud. Quidquid datur pauperi, Chriſto datur. Ocellus Domini Ioannes ſcripto nos erudiens: *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi,* ait, *& viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* *1. Joan. c. 3. v. 17.* Liceat hîc quærere: Num hæc ad Dialecticæ leges proba eſt concluſio? Nam antecedens de amore in hominem, enthymematis clauſula de amore in Deum loquitur. Atqui hæc diverſa ſunt. *Theologis, charitas Dei, & charitas proximi idem eſt habitus.* Imò eadem ſunt, hinc concluſio probiſſima. Nam eleemoſyna, quæ bono animo ſpargitur in pauperes, Deo datur, quia propter Deum datur. Philoſophorum placita ſunt. Propter quod unumquodque tale, & illud magis tale. Et: Qui dat formam, dat etiam formæ conſequentia; qui præbet ignem, etiam calorem & ſiccitatem præbet. Non vitam tantùm, ſed & ſuſtentandæ B vitæ ſubſidia Deus nobis largitus: *Ecce dedi vobis*, inquit, *omnem herbam, & univerſa ligna, ut ſint vobis in eſcam.* *Gen. c. 1. v. 29.* Dei utique fuit, animantibus ratione præditis neceſſarium cibum cumprimis providere: Atqui pauperes animalia ſunt ratione prædita: Cur autem Deus his cibum non ſubminiſtrat? Dedit divitibus, eiſque unà injunxit, ut ipſi pauperibus ſuo loco, quod conveniret, darent. Hinc ſtipem in egenos erogatam, in ſe collatam computat. Eſt qui obærato juveni ſuppetias veniat, & commodet pecuniam; juvenis iſtius parens gratias agit: & hanc gratiam ſibiipſi præſtitam interpretatur. Ita Chriſtus; quod meo nomine meis pauperibus largimini, ut mihi factum remunerabor. Ita Saulum ex alto allocutus eſt: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* *Act. c. 9. v. 4.* Domine, quis tibi nocere poteſt? In cælo ſecurus es ab omni gladio. At mea membra ſunt in in terrâ; qui lædit illa, me lædit: ita prorſus qui in meos liberalis & beneficus eſt, in meipſum eſt.

Turonenſis præſul Martinus, cùm octodecim an- C norum eſſet tiro miles, Ambiani pauperem dimidio ſui ſagi donavit magnanimâ liberalitate. Nocte proximâ viſus eſt Chriſtus hanc veſtimenti partem Angelis oſtendere gratulando ac dicere: Martinus adhuc catechumenus hâc me veſte contexit.

Domine hic cento te parum decorè teget: deinde non tibi, ſed mendico datus eſt. Me, ait Chriſtus, hâc veſte contexit: quidquid enim vel minimis meorum datur, ipſiſſimo mihi datur; & ego ut obſequium ac donum mihimet impenſum ampliſſimè rependam.

*Homines in dandis eleemoſynis ſunt præparci.* Vnde igitur eleemoſyna parcior, ubi aqua hæret? Defectum fideliter pandam. Nullus eſt, puto, Chriſtiani ſanguinis tam deparcus homo, quin facili manu crumenam diduceret, ipſúmque animum aperiret, ſi Chriſtum eâ formâ, quâ Hieroſolymis egit, mendicantem à ſe cerneret, quem utique humaniſſimè interrogaret: Domine, quid petis? etiam dimidium meæ D pecuniæ, mearum veſtium, mei pecoris non negabo. Et quamvis modeſtiſſimus hic mendicus tergiverſaretur, modum ſcribere liberalitati, nihilominus hic tam immunificus homo largiſſimam ſtipem ingereret huic domino ſuo, quem ante ſe ſtantem videret. Cur ergo in dandis eleemoſynis tam lenti, tam tenaces & præparci ſumus? Chriſtum non cernimus, tritam mendici lacernulam, pertuſum Codri, aut Iri palliaſtrum, depexum pauperis ſcholaſtici centunculum aſpicimus. Hæc nobis in oculis ſunt: Chriſtus nec in oculis, nec in animo eſt.

*Defectus fidei.* En, unus & unicus tam ſordidæ tenacitatis cauſſa eſt, defectus fidei. Non credimus Chriſto dari, quod datur pauperi; idque ideo non credimus, quia Chriſtum oculis non cernimus. Nos interim grandi ore, jactamus. Chriſtiani ſumus, & credimus Chriſti promiſſis, credimus, credimus.

Latet Chriſtus ſub egeni ſchemate

Speciosa ſunt hæc nomina, ſed (velut funebre velum) cadaver tegunt, fidem non vivam. Si valenter crederemus ſub egeni ſchemate latere Chriſtum, longè cùm promptiores, tum liberaliores eſſemus in dandis eleemoſynis. En quàm imbecilles & increduli ſumus! oculis noſtris habere mus fidem, quam verbis Chriſti negamus. Quis Chriſtum videat præſentem, & ei non mox porrigat vel pileum ſuum, vel pallium, vel thoracem, vel ex digito annulum, vel è ſinu marſupium? quemadmodum Ionathas regius juvenis ſuis ſe veſtibus ſpoliavit, ut chariſſimum ſibi Davidem amiciret.

## § II.

Exemplis probatur.

*Ioan. Diac. l. 2. c. 22. Hoc ipſum Gregor. de quodam patrefamilias narrat ho. 23. & 88. in Evang.*

*Matt. c. 25. v. 40.*

*In vitâ Gregorii l. 2. n. 23.*

QVando igitur craſſam oculorum fidem tanti ducimus, idcirco Chriſtus toties mendici formam induit, ut vel oculorum teſtimonio firmaretur quod docuit. Gregorius Magnus præſulum ſupremus quotidie peregrinos pauperes menſâ refecit, & ipſemet menſæ miniſtrum egit. Die quodam dum convivæ pauperi aquam infundere parat ad lavandas manus, conviva ex oculis evaneſcit. Eâdem nocte Chriſtus Gregoriũ his verbis allocutus fertur: Ceteris diebus me in membris meis, heſterno autẽ die me in metipſo ſuſcepiſti. Ita firmum fixùmque manet illud: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

Sed antequam Gregorius ſolium tam ſublime conſcenderet, aſcetorio præfuit. Eò loci homo naufragus venit petiturus ſtipem: cui Gregorius ſex argenteos dari præcepit. Non multò pòſt idem rediit, & aſcetarum opem imploravit. Iuſſi ſunt iterum dari ſex argentei. Poſt elapſos aliquot dies tertiùm idem non ſine ejulatu & lacrymis eleemoſynam petiit. Procurator domûs à Gregorio vocatus, nihil quod poſſet dari ſupereſſe dixit, niſi ſcutellam argenteam, quam Gregorii mater Silvia plenâ legumine mittere ſoleret, ſed eam hactenus ſemper remiſſam eſſe. Hanc ipſam Gregorius ſine cunctatione dari voluit. Quod ad matrem attineret, cum eâ ſe acturum, ne graviùs offendi poſſit. Ergo homini naufrago (eum ſe fingebat) argentea ſcutella eſt data, quam promiſſimis manibus accipiens cum plauſu abiit. Angelum fuiſſe docuit eventus. Siquidem Gregorius ad ſupremum ſolium evectus, moris ſui retinens, duodecim peregrinos pauperes ad menſam vocari juſſit. Iámque hoſpites ſuos numerans decimumtertium invenit, & ob id œconomum humaniter reprehendens, exactiorem à ſe obedientiam deſiderari ajebat. At œconomus eoſdem iterum iterúmque numerans: Pater beatiſſime, inquit, mihi crede, non ſunt niſi duodecim. Itáque Gregorius convivam eum, quem ipſe decimumtertium cenſebat, oculo curioſiore obſervans, ſubinde formam habitúmque mutare, & nunc adoleſcentis, nunc ſenis figuram præ ſe ferre animadvertit. Poſt menſam igitur hunc ipſum in conclave ſuum acerſens, unde domo, quâ patriâ, quâ gente, quo eſſet nomine, edicere adegit. Cui hoſpes: Ego, inquit, ille naufragus ſum, cui ſcutellam argenteam dediſti. Ea liberalitas tantopere Deo placuit, ut te in iſtud ſolium evexerit, & ſupremum præſulem eſſe juſſerit. Cui Gregorius: Et unde, inquit, hæc noſti? at ille: Dei Angelus ſum, ait, in tui tutelam miſſus. Cum dicto evanuit.

Ab eo tempore Gregorius in turbam pauperũ multò liberaliſſimus, ſtata ſibi deſignavit tempora, quibus frumentum, vinum, carnes, piſces, oleum, caſeos, legumina, & quidquid in alimoniam humanam cedit, pauperibus velut filiis paterfamilias amantiſſimè diſtribuit. In aſceteriis & cœnobiis aliquot millia religioſorum hominum ſuis ipſe ſumptibus ſuſtentavit. Quotidianas maximas eleemoſynas ægris peregrinis, & pauperibus verecundis, quos inopia domo egredi vetat, aſſignavit. Quadam die mendicum in plateâ mortuum reſcivit, & ſibi culpam imputans hujus funeris, dies aliquot ſacris abſtinuit, quia pauperem illum inopiâ victûs extinctum credidit.

In Archivo Romano hodiéque volumen aſſervatur, plenum nominibus eorum, qui tam Romæ, ac in vicinis urbibus, quàm remotis ſtipem à Gregorio acceperunt, nam etiam in montem Sinai & Hieroſolymam, ubi Xenodochium condidit, eleemoſynas miſit. Paternum ac maternum animum, vir ſanctiſſimus in pauperes geſſit.

Ivo Sacerdos & pauperum ad tribunal advocatus, non prandiſſe, non cenaſſe ſe credidit, niſi menſæ ſuæ pauperem aut peregrinum quempiam adhibuiſſet. Quadam die extremę penuriæ mendicabulum ſtipem petiit. In ædes admiſit Ivo, & ad menſam juxta ſe aſſidere juſſit. Conſedit mendicus, ſed parcè comedit. Mox menſâ conſurgens, & amabili candore radians dixit: *Dominus tecum.* Et oculis ſe ſubduxit.

Hæc talia Deus frequenter ſub aſpectum poſuit, ut vel oculis noſtris fidem ingereret. Sed & tertiam erogandæ ſtipis cauſſam aſſignamus.

## §. III.

3. Cauſa.

CAuſſa tertia: Non tantùm Chriſto damus, quod pauperi donamus. ſed & cælo reponimus æternitate totâ fruendum. Eò ſpectat dominica juſſio: *Theſaurizate vobis theſauros in cælo.* Opes quidem in terrâ colligimus, ſed non nobis, hinc brevi exturbandis. Ita poſterorum ac hæredum rem agimus. Et illi ipſi quibus acervant aurum, aliis atque aliis hæredibus ac poſteris. Nemo ſibi, quod diu ſervet, colligit. Quod ab illo diſcendum, qui ſibimet domi plaudens: *Anima,* inquiebat, *habes multa bona poſita in annos plurimos.* O arithmeticum peſſimum! qui noctem unicam pro multis annis computat. Nam hic ipſe nocte eâdem è vivis ejectus eſt. Hinc Ezechielis voces illæ: *Vive, dixi, inquam, tibi.* Non aliis, quos hæreditate ditabis, ſed tibi vive, tibi collige theſauros in cælo reponendos.

*Matth. 6. v. 20.*

*Luc. c. 12. v. 19.*

*Ezec. 16. v. 6.*

Sed quâ ratione pecuniam noſtram cęlo inferimus, quæ turris Babel, quæ ſcalæ Iacob eò pertingunt? Omnia navigiis & claſſe tutò perferuntur: remiges, & mercatores ſunt pauperes. Romanus martyr Laurentius Valerianum Imperatorem ſacris opibus inhiantem ridens: Facultates Eccleſiæ, inquit, quas requiris, in cæleſtes theſauros manus pauperum deportaverunt; ſerum eſt eas quærere. Hæc claſſis pauperum ſecuriſſimè cælum appellit: nemo piratarum quidquam diripit, niſi forſan vana gloria. Hoc iteratæ Chriſti voces confirmant: *Vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo. Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cælis, quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit.*

*Matt. c. 19. v. 21.*

*Luc. c. 12. v. 33.*

Numariis teſſeris, & collybo (cambium vocant) nihil tutius. Exemplo rem monſtramus. Eſt in Hiſpaniâ civis Toletanus, qui civi Auguſtano aureorum decem millia debeat. Hanc auri ſummam mercatori Hiſpano numerat, hic autem ad mercatorem Norimbergenſem, cum quo litterarum negotiale commercium habet, hoc unum præſcribit: Quæſo te, frater, Ioanni Nigro civi Auguſtano decem millia aureorum meo nomine repone. Reponit. Satis eſt enim hoc unis litterulis ſignificâſſe. Tales omnino mercatores & trapezitæ ſunt pauperes. Nummariæ illorum teſſeræ ſunt, *Deo gratias, Deus rependat.* Et quamvis illorum aliqui ſint ingratiſſimi, nihilominus collybæ chartæ deferuntur ad cælum. Affirmat pſaltes: *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Hoc ut in opus prodeat, Auguſtinus inſigniter quemvis erudiens: *Conſilium do lucrorum,* inquit, *diſce mercari.*

Pauperum nummariæ teſſeræ ſunt *Deo gratias, Deus rependat.*

*Pſal. 111. v. 9.*

*Aug. in pſ. 111. & ho. 10. de Verb. Dom.*

*cari. Laudas mercatorem, qui vendit plumbum, & acquirit aurum; & non laudas mercatorem, qui erogat pecuniam, & acquirit juſtitiam. Eroget pecuniam, qui habet juſtitiam.* Sed inquis: Non habeo juſtitiam, & inſuper perdam etiam pecuniam? Ergo quia non habes juſtitiam, ideò non vis erogare pecuniam? Magis eroga pecuniam, ut emas juſtitiam. Sed ais iterum: Quotidie dando valde minuitur pecunia: ſed augetur miſericordia, ſeu, alienam miſeriam ſublevandi voluntas; augetur juſtitia, augetur gratia. Illud minuitur, quod relicturus es, illud verò augetur, quod in æternum poſſeſſurus es. Theſauriza igitur in cælo.

Velimus, nolimus, inquit Hieronymus, ſeneſcimus, & palam tendimus ad plures, cras forſitan aut inter Angelos, aut inter diabolos futuri. In viâ ſumus ad æternitatem. Præmittamus igitur in alterum Orbem, quidquid volumus non amiſſum. Quod uni è minimis Chriſti fecimus, id Chriſto ipſi fecimus; quod datum eſt egeno, jam repoſitum eſt in cælo.

*Chryſ. tom. 53. hom. 3. mihi pag. 220.*

Hæc Chryſoſtomus ſuis inculcans: *Theſaurizemus nobis*, inquit, *non iram, ſed ſalutem; non mortem, ſed vitam; non pœnam & ultionem, ſed honores, & coronas. Hæc, quæ hîc erogas, illic ſunt repetitio, mutuum, & fenus & debitum. Nam chirographa tibi fecit Deus. Quid itaque differs & torpes, cùm jam tanta receperis & tot expectes: à temetipſo pulchrum iſtud tributum exige. Tantùm eroga, & ſtatim aſcendit.* Qui eleemoſynas nō dat, nec cor in cælo, nec ſpem in Deo, nec conſcientiam bonam in ſeipſo habet.

## CAPVT V.

### *Eleemoſynarum dignitas, pretium, utilitas docetur.*

Vita ſic à Deo temperata eſt, ut alter alterius ope indigeat.

HÆc vita ſic à Deo temperata eſt, ut alter alterius ope indigeat, alter ſervire alteri cogatur. Miles opificibus carere non poteſt, à fabro tormentario, cultrario, ſartore, pictore, ſutore juvandus eſt: hi autem aliique opifices mercatoribus egent, à quibus ferrum, pannum, corium, ſericum, holoſericum, in ſuas & aliorum veſtes coëmant. Mercatores ſine agricolarum operâ non vivent: mercator piger & pannum vendit, ut frumentum emat, quod plebs pagana convehit. Agricolæ frumentum non vendent, niſi eorum labores adjuvent fabri ferrarii, carpentarii, reſtiones, ephipparii. Vt ſervus ſe alat, eget domino; ut dominus negotia ſua perficiat, eget ſervo. Sic omnino pauperes ope ditiorum indigent, ſed quod mireris, magis indigent ditiores pauperum inopiâ.

*Chryſ. to 4. in epiſt. 2. ad Cor. ho. 17. mihi p. 729. & in epi ad Philip. hom. 15. init. mihi pag. 1094. & tom. 5. ho. 37. mihi pag. 237.*

Hinc Chryſoſtomus auſus eſt dicere: *Sæpenumero dixi, eleemoſynam non accipientium, ſed potiùs dantium gratiâ introductam eſſe. Nam illi ſunt, qui potiſſimùm inde lucrantur. Non vides, quòd omnes mutuâ operâ indigemus? Miles opificis, opifex negotiatoris; negotiator agricolæ, ſervus liberi, dominus ſervi, pauper divitis, dives pauperis. Etenim qui accipit eleemoſynam, maximè omnium uſui eſt. Ineffabilis ſapientiæ Dei hoc opus eſt. Nam cùm mutuâ operâ indigeamus, & neceſſitas illa non conciliaret amicitias noſtras, ſi omnia ſufficerent, nónne eſſemus indomitæ beſtiæ? Ita Deus ſubjecit nos nobis invicem ob hanc neceſſitatem, ut quotidie alter alterum requirat. Neſcis, quòd non tam propter pauperes eleemoſynam Deus, quàm propter ipſos impendentes inſtituit.*

Eleemoſyna nō tam pauperes quâ propter impē dentes inſtituta eſt.

Revera niſi pauperes eſſent, ſalus noſtra magnâ ex parte profligata eſſet. Calceos ſuere, frumentum ſeminare, agros colere, veſtes parare, panes pinſere, muros ſtruere divites non poſſunt, quod poſſunt tenuis fortunæ homines. Deinde non ſint opera miſericordiæ, pars magna beatitudinis tolletur. Ita omninò quos inutiliſſimos, & fruges conſumere natos, cenſemus, utiliſſimi ſunt. Myrenſis Epiſcopi Nicolai virtus nunquam ſic enituiſſet, ſi Myræ familia pauperrima, in ſordibus etiam victum quæſitura defuiſſet. Adeóque Chryſoſtomi ſententiâ, plus pauperes proſunt divitibus, quàm divites pauperibus. Quod jam uberiùs explicabimus, de dignitate, de pretio, de utilitate eleemoſynarum dicturi.

### §. I.

4. Cauſſa.

QVarta igitur cauſſa, quæ ad dandam ſtipem impellat, eſt eleemoſynarum maxima dignitas, ſummum pretium. Chryſoſtomus, quem dixi, animoſiſſimè pronuntiavit: *Pretioſum quid, vir miſericors. Iſta major eſt gratia quàm mortuos excitare. Nam eò quòd in nomine Ieſu mortuos excitant, hoc multò majus eſt, quòd pauperem paſcunt Deo. Nam hîc tu Chriſto benefacis, illic autem ipſe tibi. Nam hîc quidem (de ſignis loquor) ipſe debitor efficeris Dei; in eleemoſynâ verò Deum debitorem conſtituis.* Quòd ſi poteſtas mortuos ad vitam revocandi venalis eſſet, quot centenis millibus aureorum hæ merces quotidie ambirentur? Atqui erogandæ ſtipis gratia longè viliori pretio comparari poteſt; emite maturè, emite. *Date, & dabitur vobis.*

*Chryſ. to 4. in ep 2. ad Cor. ho. 17. mihi pag. 724. Idem repetit to. 5. hom. 36. mihi pag. 31.*

*Luc. c. 6. v. 38.*

Verùm non ſatis eſt hæc dicere, hæc ſcribere, hæc præcinere; in conſuetudinem res trahenda eſt. Quémadmodum ad dandam comœdiam non ſufficit actores inſtruere, quâ voce, quo geſtu, quâ totius corporis compoſitione ſit incedendum, ſtandum, loquendum, ſed inſuper neceſſe eſt mores comicos per eam aſſuetudinem condiſcere, ut quovis die, quâvis horâ cum decoro poſſint exhiberi. Propterea idem vicies, idem centies actoribus inculcandum; ſic incedite, ſic ſtate, ſic vocem, ſic geſtum formate, vix tamen centies dicta retinent. Simillimum hîc. Commodè pagellis paucùlis explicari poſſet, quæ neceſſitas, & quis modus ſit erogandæ ſtipis. Sed quia nos homunculi pecuniæ tam amantes, in avaritiam tam proni, ad dandum tam difficiles ſumus, ideo hæc lentiſſimè capimus. Eam ob cauſſam hæ largiendi præceptiones iteratò ac toties inculcandæ, dum aſſiduitate audiendi hæc, aut legendi in eam noſipſos conſuetudinem adducamus, ut promptè ac facilè largiamur.

*Chryſ. to. 5. ho. 36. circa finem.*

*Magnum eſt bonum*, inquit Chryſoſtomus, *in conſuetudine bonorum eſſe. Conſuetudinis enim vis, & in bonis, & in malis magna eſt. Multi ſunt in ſignandi ſe conſuetudine confirmati, nec jam commonente opus habent, quin & mente frequenter alio vagante, tanquam à quodam animato præceptore manus ſponte trahitur ad ſignum faciendum. In conſuetudine quidam ſe conſtituerunt, ne jurent. Igitur & in hac eleemoſynæ noſipſos conſuetudine conſtituamus.* Vt autem in conſuetudinem hanc optimam veniamus plurimum juverit è divinis oraculis ejuſcemodi præceptiones memoriæ mandare, illáſque ſibi ipſi crebriùs occinere. Quales ſunt:

Præceptiones è divinis oraculis eleemoſynā cōmendantes.

*Date, & dabitur vobis.* [a] *Beatius eſt magis dare, quàm accipere.* [b]

*Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* [c]

*Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt.* [d]

*Eadem menſurâ, quâ menſi fueritis, remetietur vobis.* [e]

*Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* [f]

*Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* [g]

*Qui parcè ſeminat, parcè & metet.* [h]

*Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur.* [i]

*Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus.* [k]

[a] *Luc c. 6. v. 38.* [b] *Act. c. 20. v. 35.* [c] *Luc. c. 11. v. 41.* [d] *Luc. c. 6. v. 36.* [e] *Ibi. v. 38.* [f] *Matt. c. 5. v. 7.* [g] *Matt. c. 9. v. 13.* [h] *2. Cor. c. 9. v. 6.* [i] *Prov. c. 22. v. 9.* [k] *Pſal. 40. v. 2.*

Hæc ſingula ſuo loco ponemus in luce, ut tantò faciliùs in opus exeant, quantò ſtudioſiùs animo affiguntur.

### §. II.

Dignitas eleemoſynæ.

QVanta porrò dignitas, quantúmque pretium ſit eleemoſynæ, ab Ephremo id diſcere licebit.

*Cæſar Baron. tom. 7. anno 526. mihi pag. 123. ex Evagrii l. 4. c. 5 & Sophron prato ſpirit. c. 37.*

Ephrem Oriẽtis Comes à Iuſtino Imperatore, Theopolim ſeu Antiochiam miſſus, ut ſi quid vitii feciſſent publica ædificia terræ motu quaſſata, ab illo reſtaurarentur. Eodem tempore Antiochiæ inter mercenarios egit vir quidam integerrimus, qui tantò ſanctior, quantò ejus ſanctimonia latentior fuit. Hic relictâ mitrâ & pedo Antiochiam ignotus venit, & inter operarios diurno labore victum ſibi quæſiit. Hic ipſe poſt meridiem cùm alii panem comeſſent in merendam, ille fatigationem ſomno reficere ſolebat. Hunc Ephremus dormientem ſæpius ſpectans, columnam igneam ad nubes pertingentem in quieſcentis caput delapſam obſervavit, & obſtupuit. Viſum profectò erat admirationis pleniſſimum. Hoc non ſemel tantùm, iterúmque ſuis oculis hauſit, ſed crebriùs, neque tamen hominem è vultu noſſe licuit; ſiquidem comâ neglectâ, veſte ſordidâ, calloſis manibus, horrenti & ſqualidâ barbâ, emaciato & in atrorem declinante vultu erat, famem oculi fatebantur. Virũ igitur accerſivit Ephrem, & percunctari cœpit, quis eſſet, qui vocaretur, unde gentium illuc veniſſet? Cui cæmentarius: Ego, inquit, inter hujus civitatis pauperes cenſeor; victum his manibus paro; hæc mihi vivendi ratio eſt. Ephrem cupidus diſcendi arcaniora: Crede mihi, ait, non abibis hinc, dum planiùs ad ea, quæ ſciſcitor, reſponderis. In arcto ſe deprehenſum ſenſit operarius, nec ampliùs celari poſſe, quod hactenus feliciter abſcõdiſſet. Si, ait, pollicearis audita nemini mortalium patefacienda, dum vixero, quod res eſt, dicam. Fidem dedit Ephrem, & jurato promiſit, id ſanctè à ſe ſervandum. Ita narrationem ingreſſus: Ego, inquit, Epiſcopus fui, ſed tiaram Dei cauſsâ deſerui, huc ignotus veni; quò potentiùs autem à corpore me abſtraherem, quotidianis laboribus tenuem alimoniã quærere decrevi. Tu verò nobiliſſime domine, quantum potes, eleemoſynas auge. His enim diebus ad inſulam vocaberis, ut populum, quem Chriſtus ſuo ſibi ſanguine emit, gubernes. Quod autem dixi, eleemoſynis inſiſte, & pro religione verâ viriliter decerta. Talibus namque ſacrificiis Deus maximè delectatur. Vaticinium firmavit eventus; uti dixit, ita res geſta eſt. Ephremus his auditis in Dei laudes erumpens: Quot occultos, inquit, & nemini quàm ſibi notos Deus famulos habet? At ubi in præſulis Antiocheni ſolium evectus eſt Ephrẽ, geminum illud monitum exactiſſimè ſecutus, tam liberalis & munificus in pauperes, quàm fortis & terrificus in religionis hoſtes extitit. Vtroque præſidio urbs egebat, facultatibus per terræ motus exhauſta, moribus per priores Epiſcopos corrupta. Optimè dixit beatus Maximus: *Miſeri homines, qui in mortem peccatis aruerant, ad vitam eleemoſynis reviviſcunt, eſtque illis miſericordia fons ſalutis, quibus avaritia fuerat mortis incendium; ut flammas, quas ſibi peccando incenderant, largiendo reſtinguant; & emant ſibi quodammodo innocentiam, qui ſibi emerant aliquando peccatum.* Revera talibus ſacrificiis delectatur Deus, qui miſericordiam vult, & non pecudum ſacrificium. Summa dignitas, ſummum eleemoſynarum pretium, inſiſtamus eleemoſynis.

*S. Maxim. hom. 1. de Eleemoſynâ mihi pag. 284.*

## §. III.

**Eleemoſynæ utilitas.**

*Luc. c. 11. v. 41.*

*B. Maxim. loc. cit.*

QVod autem jam dicere cœpimus, non minor eſt eleemoſynarum utilitas, quàm dignitas. Hęc una liberalitas ab omni tam temporali, quàm æternâ morte liberat. Apertè Chriſtus: *Verumtamen,* inquit, *quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Cum Tullio hic proclamare liceat: Quid vultis ampliùs? à duobus maximis malis, à peccato & à morte liberant eleemoſynæ. Taurinenſis antiſtes, quem antè dixi, illam Domini promulgationem expendens: *Quamvis ergo pollutus,* inquit, *quamvis multis criminibus circumſeptus, ſi eleemoſynas feceris, innocens eſſe cœpiſti. Abſtergit enim eleemoſyna, quod avaritia polluebat, & maculam quam res alienas diripiendo contraxeras, tuas erogando purificas. Vide ergo, quæ ſit miſericordiæ gratia, quæ una & ſola virtus, cunctorum eſt redemptio peccatorum.*

Eleemoſyna abſtergit quod avaritia polluit.

Verùm protervior quis forſan dixerit; Demus eleemoſynam, & vivamus ut lubet. Sed ſcias, ó bone, liberalitatem à Chriſto commendatam, non temeritatem. Qui vitam ſceleratam ſine pœnitentiâ claudit, tametſi mille talenta auri ſparſerit in egenos, non tamen aliud, quàm triſte illud audiet: Recede, non novi te. Nihilominus veriſſimum eſt Domini promiſſum: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Eleemoſyna tam hominem ſceleratum, quâm ſceleris purum deducit ad cælum. Scelerato dextram porrigit, ut è cœno erutus ſurgat, impetrétque veniam noxarum: Innocentem tuetur à vitiis, & itinere plano, non tam manu ducit, quàm collo portat ad beatos. Quot & quantos eſt nominare, qui flagitiis merſi periiſſent, niſi eos extraxiſſet eleemoſyna, & viam ad ſuperos monſtraſſet.

*Luc. c. 11. v. 41.*

Eleemoſyna ſcelerato porrigit manum, ut è cœno ſurgat.

*Baron. to. 6. ad ann. 491. ex Evagrio, Zonarâ, Cedreno.*

Zeno Imperator impius à matre filiam ſuæ libidini abſtraxerat. Hunc mater non inſidioſo ferro, ſed aſſiduis precibus iugulare ſtatuit. Moram injecit eleemoſyna. Etenim matri dictum eſt, Imperatorem argenteâ manu defendi. Nam Zeno ne cui flagitioſiſſimus videri poſſet, unicum virtutis ſpecimen dedit: eleemoſynarum largus fuit. Sed ô Dei judicia! Zeno flagitiis merſus, cùm neque reſipiſcere, neque frugi eſſe quidquam penſi haberet, demum eſt ſepultus antequam mortuus. Nam morbo comitiali, quo ſæpe laborabat, correptus, aut ebrietate nimiâ ſopitus, vel ob animi defectionem pro mortuo habitus, & in conditorium delatus eſt. Vbi ad ſe rediit, domeſticos vocare, ſatellites inclamare ac horrendùm vociferari cœpit. Sed fruſtra. Nam Ariadna conjux, quæ mariti parum grati jacturam interpretata eſt lucrum, ſeverè prohibuit, ne quis hypogæum reſeraret. Ita Cæſar cùm ſua ipſe brachia priùs corroſiſſet, inediâ extinctus eſt. Num ſupremo hoc ſupplicio Imperator incendium æternum defugerit, an inceperit, ſcire homini nefas.

## §. IV.

*Gualter. in tab. Chronograph. ad ann. 1611. mihi pag. 819.*

NArrat Iacobus Gualterius in tabulis chronographicis, ante annos viginti conceſſiſſe fato Cabanenſem dominum Ioannem Antonium Simienæum, cujus frater Delphinatûs gubernatorem egit. Hic Ioannes Antonius à teneris unguiculis Calvini religionem combibit, eámque ad annum ætatis octogeſimum nonum mordicus retinuit. Denique jam morti vicinus cũ veteri ſe Eccleſiâ ſentire, & in eâ mori cupere profeſſus eſt. Nec ſolùm hæc dixit, ſed verbis inſuper fidem fecit, cùm Confeſſionis, Euchariſtiæ, & Vnctionis extremæ ſacramentis ad ſupremam cum morte luctam ſe armavit. Duo è divi Franciſci familiâ morienti adfuêre. Mutationis tam admirandæ geminam aſſignant cauſſam. Prima; Ioannes Antonius, quem dixi, ſacræ lectionis mirè avidus fuit. Siquidem poſt illius obitum inventus eſt apud eum libellus hac inſcriptione: Praxis ſpiritualis, ſeu, Introductio ad vitam devotam à Franciſco de Sales Epiſcopo Genevenſi Gallicè ſcriptus; dein editus Latinè. Hunc ille gloſſematiis, idque ſuâ manu diſtinxerat: Involucro libri hæc verba viſebantur inſcripta: *Lecta, & relecta, faciat Deus, ut id in miſeræ animæ meæ conſolationem, & proximi mei ædificationem cedat.* Cauſſa altera: Fuit Simienæus ad largiendas eleemoſynas, viris etiam religioſis admodum propenſus. Dedit eleemoſynam, & en fuerunt illi munda omnia.

Vitæ mutatæ in Ioãne Antonio Simienæo duplex cauſſa: Prima.

Secunda.

Angelus Tobiæ cùm dignitatem, tum utilitatem elee-

*Tob. c. 12. v. 9.*

eleemoſynæ, fide digniſſimus orator explicans: *Eleemoſyna*, inquit, *à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam & vitam æternam.* Ab omni morte liberat, etiam brevi illâ, & quæ melioris vitæ proludium eſt. Non ſemel ex alto lapſa tegula, vel moles tranſeuntem oppreſſiſſet, ni manum præſidiariam commodâſſet miſericordia. Tranſeuntem viatorem ſæpius latrones bonis & vitâ exuiſſent, ni vim & injuriam propulſaſſet eleemoſyna.

Eleemoſyna à morte liberare probatur exemplis.

A

Sareptana vidua (ut Regum faſti memorant) jam ſuas ipſa velut exequias ibat, jam funebrem ſibi cenulam parare inſtituebat. Hanc ipſam Elias, cùm ad portam Sareptanam eſſet, ligna colligētem vidit, & ſignificante Deo hanc ſuam fore hoſpitam & altricem intellexit. Eam igitur ſalutatam rogavit, ut aquam potabilem afferret, jámque abeūtem revocans, unà pauxillum panis afferre juſſit. Iuravit illa nihil ſibi domi eſſe, præter unicum farinæ pugillum, & olei paullulum. Eò autem ſe veniſſe, ut collectis lignis ſibi ac filio parvulum panem coqueret, quem in mortis antecenam ſumerent fame necandi, quandoquidem nihil aliud ſupereſſet. Tum Propheta: Vade, inquit, bono animo, lætiora ſperans, & primùm mihi buccam panis affer. Polliceor tibi nunquam in vaſe illo farinam, nec oleum in ampullâ defore. Potuiſſet illa Eliæ objicere: Tu hujus annonæ cauſſa es, qui arva pluviis & rore ſpolias. Nunc alibi diu vagatus, ad me venis, ut de meo victites. Nihil horum. Sed paruit mulier, & quæcumque propheta petierat, fecit; ita ſe ſuúmque filium morti ſubduxit, & deinceps tam ſibi & filio, quàm hoſpiti ſat alimentorum habuit. Eleemoſyna à morte liberat.

B

*Petrus Damian. to. 1. lib. epiſt. 10. ad Moricū legum Doctorem mihi pag. 371.*

Viri octo, quod Petrus Damianus refert, in itinere Hieroſolymitano ab inopiâ malè viaticati, totam pæne hebdomadem, vix quidquam humanæ alimoniæ guſtarunt. Cúmque jam inediâ exhauſti, viæ moleſtiâ fracti prope deficerent, & vix ampliùs lapſabunda veſtigia ſuſtinerent, occurrit canis, qui panem mantili obvolutum traxit. Mox illi velut ſubmiſſam cælo annonam rapuerunt. Subſidium id fami fuit, ſed non diuturnū. Eodem itinere tres Agareni ſe illis comites iunxerunt commeatu inſtructi. Horâ prandii Agarenorum duo nec miculam quidem Chriſtianorum fami de ſuo impertierunt. Tertius mitioris indolis, panem, quem habuit, in novem fragmina diviſit, ut tam ſibi, quàm Chriſtianis ſingulis pars una cederet. Reſumptis nonnihil viribus unà iter proſequuntur. Subitò velut ex inſidiis duo leones proſiliunt, & duos illos, rugitu ac dentibus ſternunt, tamquam ſi eos ſibi ſolos deſtinâſſent; ceteri fugâ ſibi conſulere permiſſi ſunt. En eleemoſyna profectò à morte liberat.

C

*Vixit anno 596. Greg. Turonenſ. l. 10. hiſt. Fran. c. 24. Metaphra. in vitâ S. Alexii.*

Gregorius Turonenſis vetus & ſacer ſcriptor, affirmatiſſimè narrat, Antiochiæ fuiſſe civem, virum in egenos liberaliſſimum, cui conjux & liberi erant. Hic iſtud ſibi moris & legis fecit, ut nihil ciborum umquam libaret, quin ſocium haberet pauperem, qui unà comederet. Quadam die obambulans civitatem, mendicorum neminem reperire potuit. Portis ergo egreſſus ſero veſpere virum candidâ veſte, cum aliis duobus ſtantem inveniens: Si peregrini eſtis, inquit, ædes meas obſecro in hoſpitium eligite; frugali menſâ cenabimus. Cui natu maximus: Non poteras, inquit, cum Simeone veſtro hanc urbem, ne ſubverteretur tueri? Et cum dicto ſtrophium, quod manu gerebat, in urbem excuſſit. Mox audita eſt ingens mediæ civitatis ruina, quæ omnis generis homines oppreſſit. Hîc Antiochenus ille civis ſubito pavore ſemiaminis in terram corruit. Eum vir candidatus erigens: Metum excute, ait, & in domum tuam abi. Filii tui cum uxore, & omni familiâ ſalvi ſunt; tuorum nullis periit.

D

A

Oratio aſſidua & eleemoſynæ quas quotidie in pauperes diſtribuis, te tuóſque ſervarunt. Cum dicto, aſpectui omnium ſe ſubduxerunt. Ille in urbem regreſſus dimidium urbis ſubverſum reperit, hominibus & pecoribus obtritis. Paucis conceſſa eſt vita, qui læſi è ruinis extracti ſunt. At civis illius ædes, quod futurum dixit Angelus, integerrimæ ſteterunt. En alterum Loth incendiis & ruinis Sodomæ ſubductum. Eleemoſyna liberat à morte.

*Tob. c. 4. v. 8. & ſeqq.*

Ideo Tobias filio ſuo præceptionem hanc, ut rem ſummi momenti, diligentiſſimè commendans: *Quomodo potueris*, inquit, *ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis. Quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.*

B

Heu quàm malè nonnunquam noſtros impendimus labores, quàm perversè noſtras expendimus pecunias! Corpus alimus ſumptuosè, ac magnis curis: quid inde præmii? vermes & putredo. Vanam gloriam ſolerter fumo paſcimus: quid inde boni? Livor & Inuidia. Mammona & Plutum argenti & auri pabulo ſaginamus: quid inde commodi? ſollicitudines & curæ. Augemus eleemoſynas, & in pauperes effundimus: quid inde lucri? Fenus ampliſſimum, beatitudo æterna, bonum immortale, cælum: Theſaurizamus nobis præmium bonum in die neceſſitatis; quoniam eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.

Eleemoſyna in pauperes effuſa cælum nobis theſaurizat.

## CAPVT VI.

### *Eleemoſynæ vel ipſas facultates augent, & in hâc etiam vitâ honeſtiſſimum reponunt fenus.*

C

ECCLESIASTES regum ſapientiſſimus, conſilium prorſus inſolens, &, ut videtur, à ratione alienum ſuggerens: *Mitte*, inquit, *panem tuum ſuper tranſeuntes aquas; quia poſt tempora multa invenies eum.* Cùm peregrè proficiſceris, domo non exeas ſine pane, quem ubi pontem tranſieris, in aquam dejicias, illum ſuo tempore recepturus. Certè quidquid hoc modo piſcibus objicitur, ſeu panis, ſeu jecoris fruſta dejicias, non amittitur, nam piſces initio minutuli, paullatim unius, duarum, trium & plurium librarum fiunt, ut vel unicus diſcum impleat. Ita prorſus de Eleemoſynâ differendum, quam Eccleſiaſtes illo ſermonis involucro ſuadet omnibus ſectandam.

*Eccleſ. c. 11. v. 1.*

D

*Vide S. Thom. 2. 2. q. art. 6. concluſ.*

*Mitte panem tuum*, da libenter, da citò, da hilariter, ſed da è tuo, tuus non alienus panis ſit cibus pauperis. Imò non tantùm non alienum, ſed tuum, & illum ipſum, quo tu indiges, tibi neceſſarium mitte. Interdum enim neceſſaria quoque in eleemoſynas expendenda. Fecerunt id geminæ viduæ. Sareptana modicum farinæ ſibi ac filio neceſſariæ in alimentum Eliæ expoſuit. Quâ largitione hoſpitaliſſimum Abrahamum, Chryſoſtomo teſte, ſuperavit. Non enim ad gregem, ut ille, nec ad grāde farinarium cucurrit, ſed unicum, quem habuit farinulę pugillum dedit. Altera verò duo æra minuta, rem domeſticam & cenſum victúmque omnem gazophylacio obtulit: ita verè, Chriſto teſte, *plus omnibus miſit. Imò tantum*, inquit Auguſtinus, *quantum Zachæus. Minores enim facultates ferebat, ſed parem voluntatem habebat. Miſit duo minuta de tantâ voluntate, de quantâ Zachæus dimidium patrimonii ſui. Si attendas, quid dederint, diverſa invenies: ſi attendas, unde dederint, paria invenies.*

*3. Reg. c. 17. v. 15.*

Duę viduę expenderunt in Eleemoſynas ſibi ad victum neceſſaria.

*Marc. c. 12. v. 43. & Lucæ. 21. v. 4.*

*Auguſt. in pſ 126 mihi pag. 604*

Ita etiam mitte panem tuum, non illum ſolùm, qui tibi neceſſarius, ſed etiam qui tibi paratus, candidus, delicatus, primarius eſt. Quod Iobus fecit, qui non comedebat buccellam ſuam ſolus, quin comederet pupillus ex eâ. Hunc igitur panem tuum mitte *ſuper tranſeuntes aquas*. Mendiculi ſunt velut aquæ pontem ſubterlabentes: in ponte ſunt opulenti. Nunc ergo, mi pecunioſe, ſed avare Domine, nunc occaſiones benefaciendi, dum pontem hunc tranſis, dum ſuperes, & aurâ veſceris, nunc alacri manu projice, nec diu delibera pecuniam, nō anxiè numera, nec eam tenaci dexterâ volve ac revolve ſæpiùs, nummos manu mitte, *quia poſt tempora multa invenies illos*. Cùm dediſſe te fueris jam oblitus, tunc tui ad te panes redibunt, non fruſtillatim, ſed totis caniſtris, imò furnis, ac horreis totis. Moram tolera, ſi ſtipis incrementa tam ampla non mox ſentias; nil perit eleemoſynæ.

Iob c. 31. v. 17.

David antequam diademate ac ſolio potiretur, cum depauperato milite ſolitudinem pererravit. En tranſeuntes aquas, in has bene nummata & prudens Abigail ducentos panes excuſſit, ſed & farinæ ac vini, coctæ carnis, uvæ paſſæ ac ficuum non exiguum numerum in eaſdem ejecit: poſt tempora non multa invenit omnia, è muliere plebejâ in reginam evecta. Eleemoſyna etiam extra cælum ditat & beat. Capite ſuperiori generatim diximus, eleemoſynam largitori utiliſſimam eſſe: nunc ſpeciatim, quàm ea ipſas etiam facultates augeat, demonſtrabimus.

Abigail ob liberalitatem è muliere plebejâ in reginam evecta eſt.

## §. I.

THarſenſis Paulus humanarum actionum diſcrimen aſſignaturus: *Pietas*, inquit, *ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ*. Actionum ſanctarum, plurimæ ſperant quidem præmium, ſed in orbe alio recipiendum. Hinc illæ Pauli voces: *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die*. Eleemoſyna fidentiùs loquitur: Repoſita eſt mihi etiam in hac die. Hoc ſanè Tobiæ uxor ignorabat, quæ maritum poſt largiores eleemoſynas acerbo ſcommate aggreſſa: *Ubi ſpes tua*, inquit, *pro quâ eleemoſynas & ſepulturas faciebas*? O ſciola nimiùm, & ſtultè ſagax femina! Numquid jam omnium dierum ſoles occubuerunt? An ideo nunquam eſt reddendum eleemoſynæ fenus, quia nondum eſt redditum? Promiſſa Dei fallere non poſſunt, vera ſunt, etſi nonnunquam ſera. Propterea Tobias illam linguæ proterviam modeſtè comprimens: *Nolite*, ait, *ita loqui: quoniam filii ſanctorum ſumus*. Et nunquid demum eleemoſyna Tobiam ditavit, cùm pecuniam omnem à Gabelo recepit? Nec levis auri ſumma fuit. Siquidem eâ receptâ gratulantibus cognatis epulum à Tobiâ datum eſt hebdomade totâ: *Et per ſeptem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gaviſi ſunt*.

1. Tim. c. 4. v. 8.
2. Tim. c. 4. v. 8.
Tob. c. 2. v. 16.
Ibid. v. 18.
Ibid. c. 11. v. ult.

Narrat Horatius Turſelinus fuiſſe in urbe Macao mercatorem copioſum & locupletem Petrum Vellium. Hunc Franciſcus Xaverius pro veteri familiaritate convenire ſtatuit. ſed eum domi alienæ latrunculis ludentem reperit. Re breviter quid vellet expoſitâ, mutuum ab eo aurum in pauperes diſtribuendum petiit, centuplicato fenore reddendum in cælo. Vellius intempeſtivo interventu Xaverii nonnihil offenſus, negare illud eſſe tempus accipiendi quod peteret, ſe ſuâ domo abeſſe, ubi aurum depromeret. Inſtare comiter Xaverius, nunquam non eſſe tempus benefaciendi. Motus hac voce Vellius, clavem arcæ nummariæ illi tradidit, & unà poteſtatem fecit, auferret inde quantum vellet. Xaverius trecentis aureis ex arcâ depromptis, Vellio clavem retulit, & unà dixit, quantum abſtuliſſet. Tum ille: Tua, inquit, verecundia, Pater, injuriam mihi fecit; utique multò minus ſumpſiſti, quàm volebam. Non erraſſes, ſi dimidium auri accepiſſes, ideo tibi arcæ clavem commiſeram. Inerant autem aureorum triginta millia. Hanc ſummam ex æquo inter nos diviſam oportuit: tu verò quotam inde particulam ſumpſiſti? Senſit Xaverius Vellium ſincerè & ex animo locutum, eáque verba non phalerata nec comitatis potiùs quàm veritatis fuiſſe. Itaque admirans: Hæc tua Velli, ait, tam liberalis voluntas grata, & accepta eſt Deo. Proinde polliceor ego, munificam Dei liberalitatem nunquam tibi defuturam. Quæ inſuper & hoc addet, ut ſupremum vitæ diem tempori cognoſcas. Nec Xaverium Deus, nec Vellium Xaverius fefellit. Quippe Vellius ex eo alius vir extitit, adeò ſe benignitati addixit. Poſt aliquot annos divinitus de inſtante obitu præmonitus, colligere cœpit ſarcinas. Ita rebus domi compoſitis, & facultatibus magnam partem in pauperes diſtributis, valens adhuc vigénſque ad ultimum illud diſcrimen ſe comparavit. Iámque dies vitæ ſupremus aderat, cùm ad templum progreſſus parochum rogavit, ut pro Petro Vellio piaculare ſacrum faceret. Factum. Huic ipſe jam, inter defunctos ſeſe numerans, interfuit. Inde ſingulos amicorum convenit, eóſque valere juſſit peregrè abiturus. Quærentibus, quò tandem iter intenderet? Reſpondit: In cælum. At illi jocari hominem ceteroqui facetum ac lepidum rebantur. Ceterùm poſteaquam ille omni aſſeveratione dicere perſeveraſſet, in cælum ſe ire; animi ægritudinem, & inſaniam interpretabantur. Ergo domum ejus frequentes confluebant, illum pro ſe quiſque à tam triſti cogitatione abducere conatus. At ille vultu gaudium præferens ſatis oſtendit, ſe mente non excidiſſe: & ſimul Xaverii prædictionē ejúſque eventum lætabundus expoſuit, rogavitque, ut eodem ipſo die funus ſuum proſequerentur. Ita hominem affectâ jam ætate repentina mors abſtulit, eodémque die ad templum funus elatum eſt.

Turſelinus l. 3. vita Xaverii c. 3. poſt init.

Vetus & verum Germanorum verbum eſt: Malè parta non ditant, eleemoſynæ largæ non depauperant, conciones auditæ negotia non retardant.

## §. II.

VIdua Sareptana, cujus ſuperiori capite mentionem fecimus, quidquid penoris habuit, in Eliæ prandium expēdit. Quod Chryſoſtomus in dandâ ſtipe perfectiſſimum judicans: *Si das panem*, inquit, *eum habens ſolum, ad perfectionem artis veniſti: melius eſt hanc ſcire, quàm eſſe regem, & diademate coronari*. Hanc artem callebat illa vidua, eáque obtinuit, ut hydria farinæ non deficeret, & olei lecythus non imminueretur. Nō ei Dei diſtenta farinaria, non capaces olei lagenas dedit, ſed quod habuit, occultâ vi adeò auxit, ut nec oleum, nec farina unquam exhauriretur. Hic Dei mos eſt, tacitis incrementis rem familiarem ita proſperare, ut etiam exiguo commodiſſimè vivatur.

Chryſ. in [illegible] hom. 33. pag. 217.

Idcirco Chriſtus monet: *Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt*, qui pertundi nequeunt, qui exhauriri non poſſunt. Nos diffidentiâ pleniſſimi mortales, rem noſtram dando minui putamus. Fallimur. Vobis, ait Chriſtus, *vobis ſacculos facite*. Nam dare veſtrum, eſt accipere; nam marſupium evacuando impletis. Eleganter Petrus Chryſologus: *Hoc monitu*, inquit, *te Chriſtus ditare voluit, non perire; perpetuari, non vacuari ſacculos imperavit: juſſit te transferre, non perdere*.

Luc. c. 12. v. 33.
Chryſolog. ho. 22. m[illegible] pag. 64.

Si verbis Chriſti fidem haberemus, utique multò largiùs ſtipem erogaremus. Ut dixi, fides deeſt. Reverà ſemini non parcit, quicunq; credit pro unico centum ſibi proventura grana; ita profectò non avarè ſpargit nummulos, qui pro ſingulis certò ſperat reddendos aureos.

O curas hominum! quàm olim hæredes noſtri blando riſu fatuam tenacitatem noſtram ſalutabunt! edent illi, bibent ac ludent, & quæ nos anxiè corraſimus, læ-

tiſſimè

tiſſimè in partes ſecabunt: ſepulchrum nobis nemo invidebit, modò noſtri nobiſcum loculi non ſint ſepulti. Hoc namque unum auferemus, quod inopum crumenulis commiſerimus. Eleemoſyna non tantùm non depauperat, ſed verè ditat & beat.

*Non omnes hîc pecuniam ſuam eleemoſynis augent.*

Sed non omnes, inquis, pecuniam ſuam eleemoſynis augent. Sunt qui multa ſic expendant, ſed non multa hîc recipiant. In promptu cauſſa eſt. Videlicet ut fides & ſpes tantò magis creſcant, quantò minùs creſcit pecunia. Quòd verò nonnullorum, non omnium marſupia dandis eleemoſynis pingueſcant, id ideo fit, ut à paucis diſcant omnes, quàm hæc laudatiſſima uſura Chriſto placeat, qui tam avidus eſt reddere, ut ſubinde reddendi tempus non expectet: Enimverò multi hominum ita conſtituti ſunt, ut ſi fenus tam ingens hîc reciperent, ſecurè illud in patriam transferre non poſſent; in tuto eſt, quod illic ſunt accepturi.

*Chriſtus in hoc mundo etiam ſolutionis partem exſolvit.*

Nihilominus Chriſtus eleemoſynæ remunerandæ cupidiſſimus, non totum in patriam differt; in ipſo etiam exilio non tantùm ſe debitorem fatetur, ſed ſolutionis partem exſolvit; dat in anteceſſum, & plus argenti reddit, quàm expenſum ſit.

*Probatur exemplis*

Quod viduæ Sareptanæ contigit, ſæpiſſimè factum, imò quotidie fieri teſtatur experientia. Anno Chriſtiano quingenteſimo ſexageſimo quarto, cùm Coſrhoës rex Perſarum geminus Nabuchodonoſor Sebaſten ac Melitenem occupâſſet, jámque Chriſtianos variè affligeret, eorum plurimi Amaſeam confugerunt, non tam urbis præſidio, quàm beati Eutychii precibus & ſanctimoniâ juvandi. Ita in eamdem urbem innumera plebs confluxit. Hinc annonę caritas & fames. In urbe hâc eâdem Eutychius Conſtantinopolis Epiſcopus, ſed exul, inter monachos agebat. Cúmque jam granaria, horrea, farinaria undique viduata eſſent, & vacua gemerent piſtrina, nec ſupereſſet, quod in hebdomadem ſufficeret; denique concurſum eſt ad Eutychium, ut annonæ ſubſidium impetraret è cælo. Eutychius ingens animi, & fidens Deo, aliósque omnes ad eamdem fiduciam cohortatus, ſe in preces effudit. Deinde ad monachos verſus: Bono animo, inquit, eſtote, dúmque vel ſemodiolus farinæ supereſt, egentes ex eo paſcite, alterum tantum recepturi. Spero hanc farinæ hydriam non defecturam. Monachi in ſpem novam erecti, eleemoſynas quotidianas perpetuarunt, & neminem egenæ plebis dimiſerunt ſine ſportulâ. Hinc viri ſanctiſſimi vaticinium ab eventu laudem accepit nec unquam quod daretur, defuit. Eleemoſyna non ſolùm non depauperat, ſed ditat & beat.

## §. III.

*Quidquid tribuitur pauperi nõ eſt donũ, ſed mutuum.*

VEriſſimè dixit Gregorius: Quidquid tribuitur pauperi, ſi ſubtili conſideratione penſetur, non eſt donum ſed mutuum: quia quod datur, multiplicato fructu recipitur. Philippus Nerius à Gregorio XV. ad Sanctorum ordinem adſcriptus innumeras dedit eleemoſynas, cùm tamen in familiaribus rationibus perparum haberet. Vnde conſtare potuit, longè majorem expenſi, quàm accepti ſummam fuiſſe. Cùm iſtud purpuratus ſenator Robertus Bellarminus Congregationi Rituum ſcripto teſtaretur, ad ejus teſtimonii finem ſubſcripſit hæc omnino verba: Res eſt nota; Pecuniam iis deeſſe nũquam, qui eam in ſubſidia pauperum diſtribuunt.

Seruulus mendicus, & à puero paraliticus (qui beatum Gregorium encomiaſten habet) à morbo ita malè habitus eſt, ut nec incedere, nec ſtare, nec in ullũ latus ſe vertere potuerit. Hic eleemoſynis ita modeſtè vixit, ut eleemoſynarũ, quas acceperat majorem partem in alios mendicos voluerit derivari. Germanis vetus Verbum eſt; Angelos in cælo ridere, cùm mendico ſtipem porrigit mendicus. Igitur ridendi copiam in Servulo habuerunt creberrimam, cùm mendici ſtipem toties caperent à mendico. Ambroſius divitum ac pauperum ſubſidia velut ad libram examinans: *Commendatior eſt*, inquit, *pauperis collatio, quàm divitis liberalitas.*

*Amb. in c. 6. Luc mihi pag. 104.*

*Lydiam alii vocant. Lippeloo & Haræus die 14. Aprilis.*

Lydwina Schiedamenſis virgo morborum omnium theatrum, triginta octo annis graviſſimè decubuit, nunquam oblita pauperum, quorum nomina, domos, egeſtatem diverſam exactiſſimè novit, etſi rariſſimè in publicum progreſſa in tenebris domi jaceret. Quidquid ea nummorum, panis, carnium accepit, mitiſſimè aucta, in egenos iterum effuſa ſunt. Marſupiolum illius etſi pauperrimum, Darii gazas, Crœſi ærarium ſuperavit: nam illud Lydwinæ largiendo auctum eſt, hæc imminuta ſunt, & demũ in fundo ſuſpiravit nummus. Interrogata Lydwina, & unde tandem quæ largiretur, ſumeret? Quandoquidem, inquit, vos Dei donum non latet, aſſevero, ex octo argenti libris, non tantum æs alienum mei fratris diſſolutum, ſed libras inſuper quadraginta expenſas. Hinc illi loculi nomen ſortiti, Crumena Domini Iesv. Si porrò ii, per quos pauperibus nummos, panes, cibos mittebat, rem negligentiùs curarent, animo dolebat, futuros cæli principes non promptioribus obſequiis coli. Cùm aliqui tam pauperibus quàm Lydwinæ ſæpiùs gratularentur ac dicerent, è piſis & carnibus largè ſubmiſſas ſportulas triginta paupertinis familiis, nec inde quidquam videri deceſſiſſe. Illa verecundè renidens: An ignoratis, inquit, dictum Domini, *Date & dabitur vobis*. Aperta eſt etiamnum manus illa, quę olim viduæ farinulam conſervavit. Sed inſuper etiam hanc liberalitatis laudem occupabat Lydwina, ut neminem adventantium à ſe unquam repelleret: domeſticis autem affluentium turbam excludere conantibus: Quid agitis, inquit, ſorores meæ? Itáne animas Chriſto lucrandas objiciemus Satanæ? Veniant ad me pauperes, ego nondum eò perveni, quò ille, qui optabat pro fratribus fieri anathema. Adeóque Lydwina in ſeipſam quidem rigida & præparca, in pauperes non effuſa ſolùm ſed verè mater fuit, nec ulli negandam opem cenſuit, dum vel teruncius reſtaret. Cùm non eſſet, quod daret, animum dabat, & ſermone mitiſſimo recreabat. Hinc & ipſa viſis cæleſtibus recreata, beatorum ſedes ſpectavit, cælum animo perambulavit. Hîc mẽſas pretioſo tapete ſterni, eleemoſynas egenis præſtitas in iis reponi, cibum potúmque, quem teſtâ & fictilibus propinâſſet, criſtallynis, aureiſque patinis ac poculis inferri vidit. Cæleſti hoc ſpectaculo jam longè confirmatior, beneficentiam in pauperes ſummis ſtudiis augere conabatur. Eleemoſyna non depauperat, eleemoſyna ditat & beat.

*Marſupiolũ Lydwinæ Darii gazas & Crœſi ærarium ſuperavit.*

*Luc. c. 6. v. 38.*

## §. IV.

*Surius to. 2. in ejus vitâ.*

EIuſdem pæne indolis, & pari benignitate illuſtris fuit Birgitta Sueca, parentibus piis & illuſtribus nata. Hanc pater Regi vendere parabat, quòd non larga, ſed prodiga & familiæ pernicies, quidquid rerum aut pretii poſſet conquirere, in pauperes effunderet. Quam cùm interrogaret Rex ipſe, cur etiam gladium parentis abſtuliſſet, ejúſque pretium in vilem turbam projeciſſet? Reſpondit: Illum Chriſto largita ſum. Et certè ſi te dominum Regem, & meum parẽtem Deus à me peteret, modò poſſem, utrumque cum omnibus facultatibus non invita darem. Quo audito Rex comiter ſubridens, & ad patrem converſus: Major, inquit, filia tua eſt, quàm quæ vel abs te vendi, vel à me emi poſſit. Hæc Auguſtinus illuſtriſſimo teſtimonio firmans; & unà exſtimulãs ad dandum: *Si vis eſſe*, inquit, *mercator optimus, & fenerator egregius, da, quod non potes retinere; ut accipias, quod non poteris amittere; præbe tectum, & re-*

*Aug. to. 8. in pſal. 36. mihi pag. 123.*

*& recipe paradiſum; da modicum, ut accipias centuplum: da poſſeſſionem temporalem, ut conſequaris hæreditatem æternam. Attende, quid faciat fenerator. Minus vult dare certè & plus accipere. Hoc fac & tu. Da modica, accipe magna; da temporalia, accipe æterna. Da nummum, ut accipias regnum; da micam ut accipias panem totum; da terram, ut accipias cœlum; da pauperi, ut des tibi: quia quidquid pauperi dederis, habebis; quod pauperi non dederis, habebit alter. Ecce Deus de ſcripturâ ſuâ dicit: Da, ſecurus eſto, ego reddam.* Eleemoſyna non depauperat, ſed ditat, & beat.

Petr. Chryſol. hom. 8. mihi pag. 27.

Franciſca Romana moribus ſanctiſſimis femina, cùm anno Chriſtiano milleſimo quadringenteſimo vigeſimo, diuturna fames Romam premeret, illa hoc unicè laboravit, ut pauperum nemo à ſuis ædibus abiret auxilio aut certè ſolatio deſtitutus. Nam in mendicabula non ſolùm incredibiliter liberalis, ſed & mirè comis & humana fuit, ut ſi quos pane reficere non poſſet, ſaltem verbis demulceret. Hoc eſt bis dare, vultu bono & verbis optimis dare. Imò quod magis mirere, Franciſca mendicavit ipſa, ne deeſſet, quod mendicis daret. Franciſcæ ſocer generoſi vini dolium ſerio juſſu ſervari præceperat. At illa pauperum & ægrotorum miſerta dolium exhauſit largiendo. Poſt aliquantum temporis ſocer cum marito Franciſcæ Laurentio in cellam deſcendit, ut dolium primitus aperiret. Non reſpondit dolium. Mox ſuſpicio ſubiit à Franciſcâ omne vinum in mendicantium turbam diviſum. Ambo graviter excandeſcunt, & fulmina coquunt in matremfamilias. Nitebatur illa tam ſoceri quàm viri difficilem bilem ſermonis ſaccharo mitigare. Sed nihil proficiebant verba, ſopiri recuſabat excandeſcentia. In cellam igitur deſcendit lacrymis & precibus armata: hîc in genua procumbens opem implorat è cælo. Prece finitâ epiſtomium verſat, doliúmque reſpondet, fuitque vinum perinde, ſi nulla inde guttula fuiſſet detracta. Hoc ſocero nuntiatur, qui non ſine gravi ſtomacho: Somniatis, inquit, jámque mihi veſtra ſomnia & deliria vultis obtundere. Denique tamen cum filio deſcendit iterum, & dolium optimi vini plenum non ſine ſtupore invenit.

§. V.

IDem miraculi frumentum exhibuit, & prioribus fidem adſtruxit. Franciſcæ vir Laurentius plurimum frumenti vendidit; Alioquin, ajebat, prodiga mea uxor hoc ambabus manibus in mendicabula effundet, ni præveniam. Ita granario nihil, niſi retrimentum tritici relictum eſt. At Frãciſca ſui inſtituti tenax & ſedula granarium aſcendit, frumenti ſordes converrit, ventilavit: vix farris ſemodius fuit. Quidquid erat, id ſtatim abiit ad egenos. Cùm verò granarium denuò inſpectum eſt, purgatiſſimi frumenti pæne quadraginta modii ſunt inventi. Ita Iulius Vrſinus, qui Franciſcæ res geſtas ſcripſit, teſtatur. An non hîc Domini voces uſurpemus? *Palpate & videte, quia ego ſum;* mea promiſſio, mea benedictio. An non veriſſimum Salomonis vaticinium: *Honora Dominum de tuâ ſubſtantiâ, & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Eleemoſyna non depauperat, ſed ditat & beat. Res certa & liquida. Promiſſiones divinæ non poſſunt fallere. *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant.* Eleemoſynas copioſo fenore in hoc etiam orbe penſanda Deus dixit, Deus promiſit, ſuam fidem obligavit Deus. Quàm luculentæ ſunt illæ pactiones Dei, quàm certa hæc promiſſa: *Anima, quæ benedicit, impinguabitur, & qui inebriat ipſe quoque inebriabitur. Qui dat pauperi, non indigebit, qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam.* Quid, oro dici poteſt clarius? Eleemoſyna ditat. Ab omni ævo ſic ſemper fuit, ſic erit ſemper. Nec otioſa eſt contemplatio illius, qui dixit, orbem univerſum eleemoſynarum benedictione nutriri.

Societ. Ieſu Theologus.
Luc. c. 24. v. 39.
Prov. c. 3. v. 9. & 10.
2. Petr. c. 3. v. 9.
Prov. c. 11. v. 25.
Prov. c. 28. v. 27.

Sed unde nihilominus tam multa hominum diffidentia? unde tam lenta dantium moroſitas? unde tam pertinax & ſtulta non dantium parcitas emergit? è fidei certè defectu. Pollicitis divinis non credimus. O Domine, adauge nobis fidem, ut plus tuis promiſſis, quàm noſtris oculis credamus. *Per miſericordiam pauperum,* inquit Chryſologus, *miſericordiam paremus ut poſſimus eſſe de pœnâ liberi, de ſalute ſecuri.*

E fidei defectu tam lenta eſt dantium moroſitas.

Pet. Chryſolog. hom. 8. in fine.

## CAPVT VII.

### *Eleemoſynas dare, non donum, ſed debitum; non conſilium, ſed præceptum eſt.*

BErnardus de Deo & diabolo eleganter ratiocinatus: Videte, obſecro, inquit, quî Deus benefactor noſter maximus, & quî diabolus hoſtis noſter capitaliſſimus nobiſcum agant cõditione inæqualiſſimâ: diabolus pomum obtulit unicũ, & totum paradiſum rapuit: Deus paradiſum offert, & pomũ petit, aut vilius quid pomo, panis bucceam, æreum numulum, frigidæ hauſtulum; & tamen deliberamus adhuc, num Chriſto fidere, & obolum paradiſo velimus permutare. Quæ hæc tam luculenta, tam inſana fatuitas? Nõ immeritò proclamat Auguſtinus: *Quæ eſt iſta animarum inſania, acquirere aurum (aut retinere) & perdere cælum? ſed quia nemo cogitat Deum, ideo manet in morte judicium.* Ita Sæpiſſime tam infantes & fatui ſumus, pomum rapimus, hoc eſt, titivilitium, pictam cucurbitam, ſcarabæi umbram, pumicis aquam, lanam caprinam, voluptatulam viliſſimam acquirimus, nec inviti perdimus paradiſum. Quod in omnibus delictis gravioribus fieri conſuevit.

Deus & diabolus cõditione inæqualiſſimâ nobiſcum agunt.

Aug. to. 10. ſerm. 15 de verb. Dom. mihi pag. 41.

Ioannes Chriſti Domini liberalitatem depingens: *Vidi, ait, ſeptem candelabra aurea, & in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis, veſtitum podêre, & præcinctum ad mammillas zonâ aureâ.* Quæ nova hæc veſtiendi ratio, ut cingulum non lumbos ſed ſupremum pectus ambiat? Cauſſam aſſignamus. Cor Chriſti, amoris pleniſſimum: hinc rectè auro cinctum. Aureum hoc cingulum veram in dandâ ſtipe liberalitatem adumbrat; amor, eleemoſynæ radix. Cingulum ſubinde aureum, ſed non pectori appreſſum eſt; liberalitas ſe prodit, ſed non provenit ab amore, aut Chriſtianâ miſeratione. Sæpe ſumptibus non parcitur, fulget aurum, expenſæ fiunt maximæ: ſed in quænam? in veſtes, in menſam, in ſupellectilem, in in munerũ corruptelas, in famulos, in canes, in equos. En aureum cingulum, ſed pectus non ambit, nil inde pauperibus accedit. Imò, quod Chryſoſtomus pro ſuggeſtu graviſſimè conqueſtus. *Dicimus,* inquit, *rodat tinea, & non comedat pauper; abſumat vermis, & nudus non induatur; omnia tempore conſumantur, & Chriſtus non paſcatur, licet eſuriat.* At ſunt, qui obducant: Domine Epiſcope, nemo Chriſtiani ſanguinis ſic agit, aut ſic loquitur. Reſpondet Chryſoſtomus: *Hoc eſt valde malum, quòd non verbis, ſed operibus iſta dicuntur.* Aureum cingulum nitet, ſed pectus non tangit, pecuniam non charitas, ſed prodigalitas effundit. Cùm tamen Deus in lege priſcâ, in novâ Chriſtus præceptis toties iteratis miſericordiam commendârint. Ex his concludimus, non utile tantùm, ac honeſtum, magníque eſſe meriti eleemoſynas largiri, ſed etiam neceſſarium. Præceptum eſt, lex eſt egeſtati alienæ ſuccurrere, quod jam explicatiùs trademus.

Apoc. c. 1. v. 13.

Chryſ. hom. 37. ad pop.

§. I.

ASſerimus eleemoſynam non tam donum eſſe quàm debitum. Quod Eccleſiaſticus ſine ullis amba-

Eleemoſyna non eſt donũ, ſed debitum.

*Eccli. c 4. v.8.* *Plutarch. to.1. moral. in Apopht. mihi pag. 343.*

ambagibus dilucidiſsimè pronuntians: *Declina*, inquit, *pauperi ſine triſtitiâ aurem tuam, & redde debitum tuum.* Debitum exigit, non donum: non enim das tua, ſed accepta reddis. Phocion Athenienſis cùm rogaretur, conferret etiam aliquid ad ſolenne ſacrificium, quod jam alii non gravatè præſtitiſſent: Me verò puderet, inquit, donare vobis, & huic non reddere, cui jure debeo. Et unà creditorem ſuum digito monſtrabat. Ita diis gratiùs fore judicabat ſolvere, quod ipſe deberet, quàm donare, quod iſte peteret. Creditores noſtri ſunt pauperes, his potiùs reddere, quàm aliis addere debemus. Iniquum & impium eſt defraudare creditorem re ſuâ, ut aliis donare poſsis. Ergo *redde debitum tuum.*

Pauperes ſunt creditores noſtri.

*Eccli. c. 17. v.12.*

Idem Siracides hoc ipſum confirmans: *Et mandavit illis*, inquit, *unicuique de proximo ſuo.* Ne quis fortè dixerit, Ego rem meam gero, meis ego loculis attendo, quid alius farris canini rodat, non curo: & quis enim me annonæ ſtructorem conſtituit, ut omnium indigentiæ provideam? Parciùs iſta, vir bone, nam Deus mandavit & tibi, & aliis, unicuique de proximo. Injuriam facis alteri, ſi ſolùm cures teipſum. Fatuæ virgines beatorum nuptiis excluſæ ſunt, nõ quòd aliena rapuerint, ſed quòd ſua non dederint; defuit illis oleum miſericordiæ: Servus piger, qui talentum à domino acceptum humo defodit, graviter punitus eſt, non quòd rapto vixiſſet, aut templa deſpoliaſſet, aut prędam ex agris egiſſet, ſed commiſſam ſibi pecuniam non auxiſſet; debitum non reddidiſſet. Hæc autem præceptio de dandis eleemoſynis ſic inſita eſt rationi, ut Publius mimus dixerit: Qui ſuccurrere perituro poteſt, cùm non ſuccurrerit, occidit. [a]

*a S. Tho 2. 2. q. 32. ar. 5. concl. Eleemoſynã, inquit, de ſuperfluo dare, neceſſitatem patienti, eſt in precepto.* *b Ambr. to. 5. ſerm. 81. mihi pag. 896. & ſeq.*

Hæc multò accuratiùs perpendens Ambroſius: [b] *Quis*, inquit, *tam injuſtus, tam avidus, tam avarus, quàm qui multorum alimenta, ſuum non uſum, ſed abundantiam & delicias facit. Neque enim minus eſt criminis habenti tollere, quàm cùm poſsis & abundes, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt, quem tu detines: nudorum indumentum eſt, quod tu recludis: miſerorum redemptio eſt & abſolutio pecunia, quam tu in terram defodis. Bona quidem, ais, ſunt verba; ſed melius eſt aurum.*

Huic ita objicienti, alia reponens Ambroſius: *Qui verò*, inquit, *obedire non vult, & negligit, manifeſta eſt ignis æterni comminatio. Qualis tibi horror, qualiſque ſudor, quales tenebræ ſupervenient audienti condemnantis illius ſententiam:* Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare. *Neque enim in his verbis, qui alia invaſit, arguitur, ſed qui non communiter uſus eſt iis, quæ habuit, condemnatur.*

*Matt. c. 25. v.42.*

Hinc purpuratus epulo interfector & carnifex Lazari vocatur; quia fame morientem non pavit, occidit. De hoc verba faciens Chryſoſtomus: *Non illius*, inquit, *pecunias uſurparat, ſed ſuas non impertiverit. Siquidem & hoc rapina eſt, non impertiri de tuis facultatibus. Ne miremini, teſtimonium è divinis ſcripturis proferam, dicens, quod non ſolùm rapere alienum, ſed ſua non impertiri, & rapina ſit, & fraudatio & ſpoliatio. Dominus Iudæos accuſans per Prophetam dicit:* Produxit terra proventum ſuum, & non intuliſtis decimas, *ſed rapina pauperis eſt in domibus veſtris.* Quoniam, *inquit*, oblationes ſolitas non dediſtis; rapuiſtis ea, quæ ſunt pauperis. *Propter hoc diſcamus, quòd quoties eleemoſynam non præſtiterimus pari cum his, qui ſpoliant, ſupplicio afficiemur. Hortor igitur, ut pro omnibus illud perpetuò memineritis, quòd non communicare pauperibus eſt rapinam exercere in illos, illorúmque fraudare vitam; quódque non noſtras, ſed illorum res detinemus.* Quiſquis es ergo, Redde debitum tuum.

*Chryſ. to. 2. orat. 2. de Lazaro, mihi pag. 1149. & 1152.* *Iſai. c. 3. v.14.*

## §. II.

VT autem dandæ ſtipis neceſſitatem à capite arceſſamus, neminem velim latere, tam lege naturali, quàm divinâ nos obſtringi ad ferendam opem egentibus. Lex divina clamat: *Redde debitum tuum: Eleemoſynam pauperis non defraudes. Frange eſurienti panem tuũ.* Lex naturalis inde ſumitur, quia principiis naturæ convenientiſsimum eſt alienis miſeriis auxiliari. Hoc nobis Dominus mandans: *Omnia*, inquit, *quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex & prophetæ.* Ergo præceptum eſt, nec leve, ſed è genere ſuo, ut Theologi loquuntur, capitale. Quandoquidem ii, qui legem hanc rumpunt, à judice in æternos ignes ablegantur. Hîc ii meritò reprehendendi, qui, quòd in aulis frequentiſsimum, ut ſeſe omni moleſtiæ ſubducant, amandationibus fucatis miſeros circummittunt; ſinguli dicunt. Ad hunc ito, iſte juvabit; ita ſecundus, ita tertius, ita deinceps alii blandè à ſe derivant in alios, quidquid ſpem auri non facit. Videte malè cauti, ne olim & judex dicturus ſit vobis: Abite, recedite à me; alii vos juvent.

*Eccli. c. 4. v.1. & 4.* *Iſai. c. 58. v.7.* *Matth c.7 v 12.* *Ita Suarez in 2. 2. de charitate diſp. 7. ſect. 1. num. 1.*

Et numquid expreſſiſsimè Chriſtus: *Vnus*, inquit, *eſt pater veſter, qui in cælis eſt; omnes autem vos fratres eſtis.* Si fratres, ergo alter ab altero juvandus. Hinc vatis Hebræi Amos querimonia: *Et nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph.* Nam licet Ioſephi tribum puniri Deus voluerit, voluit tamen etiam eorum aliquos miſereri. *Mandavit illis unicuique de proximo ſuo*, præſertim calamitoſo. Hoc divinæ legis imperium Gregorius Nazianzenus altiùs ingerens: *An*, inquit, *benignitatem hanc non neceſſariam, ſed tibi liberam eſſe putas? ac non legem, ſed conſilium? Hoc quoque & ipſe vellem; ſed me ſiniſtra manus terret, & hædi & probra, quæ in eos à judice conjiciuntur, non quia bonis alienis manus intulerunt, ſed quia Chriſtum per pauperes minimè curaverunt. Ergo declina pauperi aurem tuam, & redde debitum tuum: eleemoſynam pauperis ne defraudes.*

*Matt. c. 23. v.8. & 9.* *Amos c. 6. v.6.* *Eccli. c.17. v.12.* *Greg. Nazian orat. de paup. amore.* *Eccli c.4. v.8. & 1.*

Hoc ſeſe debito ſtringi, non ſolùm viri religione ac ſanctimoniâ, ſed & ſanguine ac proſapiâ illuſtriſſimi, Comites, Principes, Reges, Imperatores probè intellexerunt. E plurimis huc pauculos ſiſto.

Quidam principes eleemoſynis illuſtriſsimi: Carolus Comes Flandriæ,

Anno milleſimo centeſimo vigeſimotertio Carolus Comes Flandriæ miram in pauperes liberalitatem exercuit. Cùm enim eo anno, quod Chriſtianus Maſſæus narrat, fœdiſsima & inſolenter diuturna hiems, imbres continui, frigus intenſiſsimum præceſsiſſent, & vix ad auram Majam arbores nonnihil reviviſcere cœpiſſent, pleraque omnis ſatio agrorum intercidit. Hinc annonæ caritas & fames totâ Galliâ; idque biennio. Hîc Carolus Comes animum & manum aperire, omnibus pauperibus, quotquot accurriſſent, panem integrum dare, ita ut vel unicâ horâ octingenti panes in famelicam plebem fuerint diſtributi. Quavis hebdomadæ die Veneris tredecim pauperes menſæ adhibuit, ſingulis induſium, tunicam & calceos dedit, illóque ipſo die inediam pane & aquâ toleravit. Nec ei cilicium ignotum fuit. Eo ipſo tempore duo præſules ex aliorum fame quæſtum facturi plurimum frumenti coëmerant, ut illud iterum grandi fenore venderetur. Mox emptor adfuit Carolus, & redemptum triticum partim gratis tribuit, partim vili pretio venale fecit. Magnam ea res invidiam habuit, quæ Carolo etiam necem procuravit. Nec tamen latuit virtus poſt funera. Cadaver ejus odorem gratiſsimum halavit, & miraculis inſigne fuit. En, Carolus maluit jacturam vitæ facere, quàm pauperibus debitum ſuum non reddere: fecit juſtitiam. Hoc nomen ſacri codices non immeritò dant eleemoſynæ, quam juſtitiam appellant. Ita Dominus loquitur: *Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* Reddit debitum, facit juſtitiam, qui dat eleemoſynam.

*Matth. c.6. v.1.*

## §. III.

SEd Carolo Comite Flandriæ, Ariani Comes Elcearius, minimè inferior fuit. Is ſuam liberalitatem

Ariani Comes Elcearius,

in primis leproſis hominibus ac mendicis aperuit: hos adeſſe menſæ ſuæ voluit, hos totâ voluntate cōplexus eſt, his nihil in ſe negatum aut difficile voluit, hos intimos & ſummos habuit. Secus quàm ii ſolēt, qui ſua in aſſentatorū & ludionum greges effundunt. Vtinam hi flectant oculos ad Comitē Elcearium. Hic quotidie ad duodecim leproſorum pedes procumbebat, & eis diligentiſſimè ablutis ac exterſis infigebat oſcula, in menſâ eos collocabat, in ſuperiore quemque loco quo pauperiorem, adeóque Chriſto ſimiliorem deprehenderat. Dalphina conjux interim in culinâ ſatagebat, ut ſapida, nitidáque eſſent omnia; Elcearius autem veluti ſuis regibus officioſè miniſtrabat, debitum fideliſſimè reddebat. Sed Deus ſe à ſuorum liberalitate vinci non patitur. Mox geminum præmium Elceario repenſum.

Ejus geminum præmium.

Primum fuit, cùm granarium jam depletum bis occultâ vi fruges copioſas recepit. Alterum, ad venationem proficiſcens Elcearius juſſit omnem comitatum cum inſtrumento venatorio antecedere, ipſe cum chirurgo ad leproſorum domicilium viæ non valde diſſitum divertit, offendit in primo veſtibulo ſex miſerrimorum hominum ſpirantia cadavera, ita fœda, ita miſerabilia, ut ſine horrore, ac terrore illorum aſpectum interdiu etiam & vigilans non facilè quis tulerit; nocturnas larvas dixiſſes: exeſa & abſumpta labia, dentes atros, dentiúmque loca vacua retegebant; vultus omnis lurore, ac macie horrebat. Illuviem & ſordes loci ſileo. Sed juvenem regium in aulâ educatum nullius horum pœnituit, quin amantiſſimâ ſingulos ſalute impertivit, memoriam æternæ voluptatis edocuit, denique velut inter loquendum & aſpiciendum ad amorem magis accenſus in ſingulos oſcula dulciſſima diſpenſavit. Diſcedens, non modò valetudinem optavit, ſed etiam contulit. Nam protinus abſtersâ omni lue, forma bona, ſanitas integra elephantiacis reſtituta eſt, ad extremum ſex viri illi jam valentibus habitiores, venuſtè coram Elceario adſtiterunt: tota domus non aliter ac incenſis ſtacte & thuris odoribus fragravit. Elcearius divisâ ſtipe, pudore confuſus, ob recens miraculum ab domo faceſſivit. Illi lætitiis onuſti ad hominum conſuetudinem ſe receperunt. Et ipſis quidem edicere potuit ſanctiſſimus juvenis, abſtinerent ſermonem de curatione, nec auctorem ſuæ ſalutis proderent, ſed tantò magis provocavit ſuperos in ſui commendationem. Reverà fecit, deditque juſtitiam Elcearius, aurem ſuam pauperi declinavit, eleemoſynam pauperis non defraudavit. Reddidit debitum. Huic addo non omnino imparem dynaſtam.

Camillus Gonzaga,

Anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo octavo Novellaræ in provinciâ Venetâ Camillus Gonzaga non minùs eleemoſynis quàm ſanguine vir illuſtriſſimus, à Chriſti natalitiis ad tempus novæ meſſis, cùm in plebem ſæviret fames, quotidie ducentos è turbâ pauperum ſibi ſumpſit paſcendos, alternante ordine; nam prandentibus Comes ipſe miniſtravit, & centum plenâ menſâ prandióque refecit: alii centeni binos panes ſinguli acceperunt, poſtridie & ipſi ad menſam accubituri. Medio hoc tempore catecheſi Chriſtianâ omnes erudiebantur, eodem adjutore Camillo. Quotidianum ſpectaculum viſu ſanè quàm auditu jucundius. Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo, magnâ temporum difficultate hæc ipſa Gonzagæ pietas in egenos illuſtriorem ſeſe præbuit. Quotidie quadringentis pauperibus prandium parari voluit, aulicis ad menſam miniſtrantibus, convivator ipſe plerumque pauperes aſſedit, humanitate hilaravit, cōſolatione permulſit; ægrotis, qui adeſſe non poterant, alimoniam etiam & fomenta domum ſubmiſit; ante accubitum omnes præceptis Chriſtianis inſtrui curavit. Quadam die cùm rei divinæ daret operam, mendicum inopem, ſeminudum, frigore rigentem miſeratus, domum adduci juſſit: hîc ſuaviter reſotum, & novâ veſte indutum apud ſe in prandio aſſidere voluit, dein, donatum aureo dimiſit: ita debitum ſuum præclariſſimè reddidit. Inter familiarem verò ſermonem faſſus eſt Camillus, viſum ſibi videre illâ formâ Chriſtum Dominum, quæ pectore diu infixa hæſerit. Nimirum hi actus verè generoſi, & heroë Chriſtiano longè digniores ſunt, quàm equum gyris exercere, equiria celebrare, equo ad annulum decurrere, Trojæ luſus agitare, primum præmium cæteris præripere. Hæc ludrica pauculorum annorum ſpatio æterna ſepelit oblivio, illa miſericordiæ facinora ſupremi judicii die coram orbe laudata, æterna proſequetur memoria. Vox judicis erit: *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare.*

Matt. c. 25. v. 35.

## §. IV.

ERgo *communes*, inquit Ambroſius, *judica partus annonæ, quæ omnibus ad uſum generat terrarum fructus: ut quod habes, largiaris pauperi, & conſortem & conformem tuum adjuves. Tu nummum largiris, ille vitam accipit. Tu pecuniam das, ille ſubſtantiam ſuam æſtimat. Tuus denarius, cenſus illius eſt; debitum eſt. Adhæc plus ille tibi confert, cùm ſit debitor ſalutis. Si nudum veſtis, teipſum induis juſtitiam. Si peregrinum ſub tectum inducas tuum, ſi ſuſcipias egentem, ille tibi acquiret Sanctorum amicitias, & tabernacula æterna.*

Ambr. to. 5. l. 1. off. c. 11. mihi pag. 248.

Sed ut ea, quæ diximus, novo virtutum ſpecimine firmemus, en narrationem & tabulas recentiſſimas. Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo & trigeſimo primo, quo hæc ſcripſi, magnus Hetruriæ Dux Ferdinandus, cùm peſtilitas graſſaretur Florentiæ, toto cōtagii tempore, triginta quatuor millia egentiorum hominum & incluſorum aluit. In diem ſinguli octo carnis uncias, duas panis libras, oleum, ſalem, ligna, legumina aliáque hujuſcemodi acceperunt, ita ut egentioribus in victu nihil defuerit. Hæc Ducis Florentini liberalitas à contagionis principio ad menſem Martium in egenos expendiſſe dicitur ſeptingenta millia coronatorum. Hanc munificentiam mirificè commendavit illud, quando Dux ipſemet ſine ullo aulico ephaborum, & ſatellitum comitatu quotidie ad pauperes reviſit, humaniter allocutus, peramanter ſolatus eſt. Hunc Ducis in egenos animum videtur Deus favore non levi probaſſe. Nec enim diſtulit præmium. Idibus Februarii in Palàtio, dum aliud quæreretur, reperta eſt ciſta ferrea, ligno vili operta, ſed metallo nobiliore plena. In capſulis primis inventæ ſunt teſſellæ argenteæ, cum effigie Coſmæ Ducis primi: ciſtam altiùs ſcrutari noſtrum non eſt.

Ferdinandus Hetruriæ Dux, Ita Cæſar Troilus Florentini Collegii Rector litteris ſtatur. Italis Scudi. Vnū Scudi di Roma 25. bacioc.

Ergo *declina pauperi ſine triſtitiâ aurem tuam, & redde debitum tuum. Miſericordiam* vult Deus, *& non ſacrificium. Qui parcè ſeminat, parcè & metet*, Ergo *date, & dabitur vobis*. Beatius eſt magis dare, quàm accipere. *Quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis.* Et ſcitote, ô Chriſtiani, hæc non conſilii ſolùm, ſed præcepti eſſe. Quod Eccleſiaſticus diſertiſſimè affirmans: *Propter mandatum*, inquit, *aſſume pauperem, & propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum; perde pecuniam tuam propter fratrem tuum.* Tu igitur agnoſce mādatum, & redde debitum.

Eccli. c. 4. v. 8. Matth. c. 9. v. 13. 2. Cor. c. 9. v. 6. Luc. c. 6. v. 38. Matt. c. 5. v. 2. Eccli. c. 29. v. 12. & 13.

Theophanius Comes in Centumcellenſi urbe ſupra modum hoſpitalis & miſericors, vero nomine vir miſericordiæ. Cùm æger mortem operiretur, fœdiſſima tempeſtas cælum omne involvit. At moribundus placidè ad eos, qui lectulum cingebant: Poſtquam, ait, animus meus hinc emigraverit, vultus ſerenior cælo redibit. Mors vocem, mortem ſerenitas excepit. Manus pedéſque Theophanii, dum viveret, humore podagræ fœdùm intumuerāt, & profluente ſanie putebant. Morte obitâ nihil horroris aut fœditatis in ullo membro viſum eſt. Die quarto à funere cùm impoſitum ſepulchro marmor ex cauſsâ mutaretur, odor ſuaviſ-

Theophanius Comes. Greg. Magnus hom. 36. in Evang. Brendenbach. l. 6. collat. ſacr. c. 4.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ſuaviſſimus ex imo emerſit, perinde ſi è cadavere nón vermes, ſed unguenta & aromata mera ebullirent. Nihil ſuaveolentius miſericordiâ; cælum exhilarat, & terras. Theophannio neque ſanguine neque hac ſanctimoniâ inferiorem jungo.

## CAPVT VIII.

*Eleemoſynæ maleficas artes retundunt, beneficia poſterorum memoriæ tradunt, nomen immortale pariunt.*

REx Macedo Alexander in eam cogitationem venit, ut orbem terrarum ſuæ poteſtatis facere moliretur. Antequam militares copias Macedoniâ educeret, quidquid argenti facti habuit, id ſatrapis ac ducibus ſuis pæne omne dilargitus eſt. Hîc unus aliquis majoris audentiæ regiam manum ſubmovere, & tantùm non prodigalitatis accuſare, eam munificentiam videri nimiam, ſed interrogare, quid denique rex ſibi ſervaret? Hîc Alexander ore renidenti: Imò verò plurimum, inquit, reſervo mihi, ſpem ampliſſimam ad principatum orbis, hunc ducum meorum ope obtinendum nihil diffido. Quapropter animos illis addere ad vincendum largitate munerum mei conſilii eſt. Montes plumbeos non difficulter ſpernit, qui certò ſperat aureos.

Qui ſua pæne omnia pauperibus impendit, ſpem ſibi retinet multò maximam. Hæc Alexandri ſpe longè certior, & theſauris omnibus verè opulentior: imò ſecura prorſus & certa eſt. Altera illa bello nititur & ferro; at varius eſt belli eventus, & infelix ſæpe procurſus ferri: ſpes autem iſta divinis erigitur promiſſis. Suas pollicitationes Deus in auras evaneſcere non ſinet. Dei filius dixit: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Promiſſiones Chriſti luculentiſſimæ: *Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam, quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ.* Hoc promiſſum firmans: *Da,* inquit, *pauperibus, & habebis theſaurum in cælo. Cùm facis convivium, voca pauperes, retribueretur enim tibi in reſurrectione juſtorum.* Hæc ſpem reddunt certam, hæc illam attollunt cælo, modò fides non claudicet. Huic magis firmandæ nunc exponemus, quàm potenter eleemoſynæ omnes inferorum conſultationes, ut vetus lex loquitur, artéſque maleficas expugnent, & largitori nomen æternum concilient.

*Matt. c. 24. v. 35.*
*Marc. c. 9. v. 41.*
*Matt c. 19. v. 21.*
*Luc c. 14. v. 13. & 14.*

### §. I.

IN Republicâ Chriſtianâ veneficos, ſagas & veneficas, primaria diaboli mancipia reperiri, nec levi numero, tantum malum eſt, ut quibuſdam videatur incredibile. Sed res loquitur. Innumera damna ſegetibus, pecori, & hominibus illata clamant. Et quis adeò perfrictæ frontis ſit, ut tam diverſos magiſtratus tot locis in eam hominum luem gladio & igne vindicantes erroris damnet? Tot millia hujus orcinianæ plebis in rogum ierunt, & omnes judices iniquæ ſententiæ accuſabimus? Sunt nihilominus frigidiſſimi Chriſtiani, nec iſto nomine digni, qui manibus pedibúſque obſtant, quò minùs hoc lolii genus eradicetur; ne forſan, quod ajunt, in innocentiam ſæviatur. O homines divini honoris hoſtes! Nunquid non expreſſiſſimè lex divina imperat? *Veneficos non patieris vivere.* Hîc ego præſules, dynaſtas, principes, reges, quàm poſſum contentiſſimâ voce, & divino juſſu inclamo: Veneficos non patiemini vivere. Ferro & flammâ hæc deterrima hominum peſtis exſcindenda. Extirpetur hoc lolium, ne nimiâ fœcunditate increſcat, quod eheu fieri videmus & dolemus. Tollantur impii, ne lues ſerpat, ardeant perduelles Dei, ne inferorum regnum in hunc orbem transferant. Vobis, ô principes & reges, commiſſus eſt gladius, ut in capita noxia juſtis ſuppliciis animadvertatis: quis autem magis noxius, quàm qui Numinis hoſtis juratus? Venefici ac veneficæ omnes profeſſi ac jurati ſunt hoſtes Dei. O princeps, ô rex, veneficos non patieris vivere!

In republicâ Chriſtianâ veneficos & ſagas reperiri quibuſdam videtur incredibile.

*Exod. c. 22. v. 18.*

Ad infandum hoc malum potentiùs cavendum faciunt exhortationes calidæ, quæ Dei leges, præmia, ſupplicia, potiſſimùm autem æternitatem aſſiduè inculcent. Si enim divinum nomen fugat dæmones, non minùs lex & opera divina publicè collaudata id virium habebunt. Deinde juramenta, perjuria & execrationes diræ neutiquam tolerandæ ſunt. Nec enim oſſe aut pane alliciendus eſt canis, quem abactum velis. Atqui deprecationes diræ, ac perjuria diabolũ jam antè promptiſſimum accerſunt. Tertiò diaboli, & omnis plebs Acheruntica minimè formidanda eſt. Diffidentiam in Deum talis formido nutrit. Injuria in Deum eſt diabolum metuere. Hinc ajunt eos, qui veneficos accuſant, aut iis ſe aliter opponunt, non facilè ab hac hominum colluvie lædi. Quartò fatentur ſagæ, homini in pauperes ſincerè largo noceri non poſſe.

Quatuor modis hoc malum cavetur.

In Hornenſi agro Wertami virginum cœnobium triennio à ſagis graviſſimè infeſtatum eſt. Originem mali eam affirmant. Venefica è monaſterio libram ſalis petiit, poſt bimeſtre reddendam, & quidem cum fenore. Reddidit: ſed fenus illud acceſſit, quòd monialium quædam à diabolo inſeſſæ. Huic hoſpiti portas referarunt expulſus eleemoſynarum uſus, & uſuræ receptus.

*Vide Vierum l. 4. c. 10. Bodinum l. 3. c. 1. de dæmonomaniâ magorum. Bredenbachiũ l. 6. collat. ſacr. c. 25.*

Venefici, & Pharmaceutriæ diabolorum amicæ, ut tam hominibus, quàm pecoribus noceant, adiguntur. Quod quò commodiùs poſſint, ſubinde mendicant. Negant rogati? vicinum eſt periculum. Nam iis potiſſimùm officere creduntur, qui aut ſtipem negant, cùm tamen magos eſſe neſciant, aut qui dant, etſi diaboli cognatos eſſe non ignorent.

Anno milleſimo quingenteſimo ſeptimo, Pictavis,[a] in celeberrimo religioſorum hominum conventu optimâ fide narratum, duos magos buxeo & lurido vultu, emaciato corpore, ſqualidâ veſte ad opulentas ædes petiiſſe ſtipem; eâ negatâ, familiam maleficis artibus, carminibúſque ita incantaſſe, ut domeſtici omnes in rabiem acti, miſerabile fati genus obierint. Rigidioris animadverſionis hîc nemo Deum accuſet. Domûs illius inquilini non unâ ſolùm inclementiâ in pauperes peccarunt. Hoc illis ſolenne fuit, egentes verbis aſperis repellere, nec panem nec pecuniam largiri, plus vini vomere, quàm ægris impendere; equos & canes lautiùs quàm homines fame fractos paſcere. In hos tales jure merito Satan carnifex immittitur. Pereant, qui pauperes perire volunt; *judicium illis ſine miſericordiâ, qui non fecerint miſericordiam.* Ergo in faſcinationes & veneficia eleemoſynæ alexipharmacum ſunt.

[a] *Seu Auguſtoriti.*

*Iac. c. 2. v. 13.*

### §. II.

LAudem inſuper comparant eleemoſynæ, famam colligunt, gloriam conciliant, immortalitati mandant. Canit Hebræus pſaltes: *Iucundus homo, qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in judicio, quia in æternum non commovebitur. In memoriâ æternâ erit juſtus, ab auditione malâ non timebit.* Quærit Auguſtinus: Quæ hæc auditio mala? Ite in ignem æternum. Auditio prorſus mala, auditio longè peſſima, quia æterna. Ab hac ſibi non metuit ſincera in pauperes liberalitas. De judice Chriſto per eleemoſynas placando inſigniter Chryſoſtomus: *Magnum illic judicem,* inquit, *ars rhetoris nulla decipiet, nullius potentia mitigatur, dignitati non cedit. Hîc verò judicem exorabimus & placabimus.*

Eleemoſynæ laudem comparant & perennant.

*Pſal 111. v. 5. 6. & 7.*

*Chryſ. to. 5. hom. 6. de pœnit. mihi pag. 736.*

*mus. Reſponde judici, priuſquam in prætorium veniat. Da inopi pecuniam & judicem mitigaſti. Pœnitentia ſine eleemoſynâ mortua eſt, & ſine plumis volare nequit, non habens eleemoſynæ pennas.*

Et quantum erit gloriæ, ab illo judice humaniſſimè invitari: Venite benedicti, percipite regnum. Quos adeò amanter vocat? Miſericordes. Sed ubi virtutum ceterarum encomia? Tacentur, non quòd eæ ſuum ſibi præmium non habituræ, ſed quòd primum debeatur miſericordiæ. Olim in gymnaſiis Societatis IESV, non ſolùm libellus aureus in præmium, ſed etiam ex amaraco ſertum in victoriæ ſignum dabatur juventutis principibus. Mos laudabilis; & velim revocatum. Chriſtus in ſupremo judicio, non tantùm miſericordibus præmium, ut ceteris dabit: *Percipite regnum*; ſed inſuper etiam orbe univerſo ſpectatore, miſericordes coronâ pactili donabit, cum inſigni laude. Hæc amaraci corolla non defluet, non mareſcet, virebit æternum. *In memoriâ æternâ erit juſtus.* Quid operoſiùs, quid ardentiùs, quàm celebritatem & nomen quærimus? eleemoſynæ perennant, eleemoſynæ conſecrant æternitati; ab eleemoſynâ nomen uſquequaque præclariſſimum venit.

*Ante annos 40. in ſtudiorum inſtauratione.*

*Pſal. 111. v. 7.*

Quod Siracides explicatiſſimè docens: *Sunt*, inquit, *quorum non eſt memoria: perierunt quaſi non fuerint. Sed illi viri miſericordiæ ſunt, quorum juſtitiæ non ſunt oblivioni traditæ; pietates non defuerunt; cùm ſemine eorum permanent bona, &c. & filii eorum propter illos uſque in æternum manent: Semen eorum & gloria eorum non derelinquetur.* His accinit regius pſaltes: *Diſperſit, dedit pauperibus: juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi, cornu ejus exaltabitur in gloriâ.* Quid non molimur, quanta facimus memoriæ parandæ? montes perfodimus, maria frenamus pontibus, lunam pæne cælo deducimus in terram. At Iobus hûc famæ ambitum irridens: *Memoria veſtra*: inquit, *comparabitur cineri.* Gregorius interpres dicti: *Omnes*, inquit, *qui cogitatione terrenâ huic ſæculo conformantur, per omne quod agunt, huic mundo relinquere ſui memoriam conantur. Alii bellorum titulis, alii aliis ædificiorum mœnibus, alii diſertis doctrinarum liberalium libris inſtanter elaborant, ſibique memoriæ nomen ædificant. Sed cùm ipſa ad finem celeriùs vita decurrat, quid in eâ fixum ſtabit, quando & ipſa celeriter mobilis pertranſit? Aura cinerem rapit. Rectè ſtultorum memoria cineri comparatur, quia illic ponitur, ubi ab aurâ rapiatur. Quantumlibet enim quiſque pro faciendâ gloriâ ſui nominis elaboret, memoriam ſuam quaſi cinerem ponit, quia hanc citiùs ventus mortalitatis rapit.* Homo miſericors fragrantiſſimam ſui memoriam relinquit: *Eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia ſanctorum.* Parentes filiis, filii nepotibus, iſti pronepotibus, alii aliis narrant. Hinc illæ pauperum panegyres: Quàm hic dominus liberalis & beneficus in egenos fuit; hi fame, illi frigore periiſſent, ni hunc virum habuiſſent ſubminiſtratorem & opiferum: hos ille facultatibus exui prohibuit, hos ære alieno liberavit, hos, ne ad incitas adigerentur, retinuit, illis in morbo cibos ſubmiſit, his dotem ſuppeditavit, horum pudicitiam modis aliis ſervavit, æterno nomine digniſſimus.

*Eccli. c. 44. v. 9. & ſeqq.*

*Pſal. 111. v. 9.*

*Iob c. 13. v. 12.*

*Greg. l. 11. Mor. c. 17. mihi pag. 74.*

*Eccli. c. 31. v. 11.*

### §. III.

Tabithæ eleemoſynas enarrat omnis Eccleſia.

TAbitha, ſeu Dorcas, Chriſti diſcipula in Ioppe, memoriam ſui non marmori, non æri, non chalybi curavit incidi, nihilominus eleemoſynas illius enarrat omnis Eccleſia ſanctorum. Hæc enim erat, beato Lucâ teſte, plena operibus bonis, & eleemoſynis, quas faciebat. Poſtquam igitur Tabitha mortalitati ceſſit, miſerunt Ioppenſes, qui principem Apoſtolorum accerſerent. Cùm adveniſſet Petrus, duxerunt illum in cœnaculum, & circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas & veſtes, quas faciebat illis Dorcas. Hæc pauperum comploratio Petrum adeò commovit, ut mortuam revocaverit ad vitam. Siquidem quod Apoſtolorum Acta teſtantur: *Aſſignavit eam vivam.* Ita ſeipſam Dorcas ad immortalitatem conſecravit eleemoſynis.

*Act. 9. v. 41.*

Anno quadringenteſimo vigeſimo ſeptimo Paulinus Nolæ Antiſtes, id facinoris per liberalitatem auſus eſt, quod orbis etiamnum miratur & adorat. Paulinus gente nobilis, vir conſularis, illuſtris facundiæ, magnarum opum, inſignis formæ, Philoſophiâ & Theologiâ egregiè imbutus, oratione tam ſolutâ quàm ligatâ ſcripſit multa, ſed nec proſapia, nec forma, nec opulentia, nec eruditio, neque facundia tantum ei auctoritatis, famæ, celebritatis ac gloriæ conciliarunt, quantum una atque unica miſericordia. Nam Paulinus poſitis faſcibus Chriſti amore pauper è divite, monachum egit. A cucullo ad mitram vocatus, menſâ frugaliſſimâ contentus, quidquid de cetero annuorum redituum habuit, in pauperes erogavit laudatiſſimâ prodigalitate. Iámque in fundo ſuſpirabant opes, nec reſtabat, quod expenderet. Eo ipſo tempore vidua filium ab hoſte captum pretio redimi poſtulavit. Paulinus æris inops præter ſeipſum, apud ſe nihil inveniens: Mea mater, inquit, quod dare poſſim non habeo. Hoc age, meipſum accipe: tui juris me profiteor: Vende, & in ſervitium trade: hæc una ſupereſt ratio liberandi filii. Femina jocari præſulem arbitrata ſerias preces iteravit: At ille, ut erat eloquentiſſimus, dubitanti feminæ perſuaſit, ut ſibi credere auderet, quamvis nec tum quidem ſuis ipſa oculis id ſatis crederet. Vnà igitur profecti ſunt in Africam, quò Vandali Campaniam vaſtantes viduæ filium abduxerant. Hîc vidua Guntharii regis generum accedens, filium reddi precibus infimis flagitavit. At barbarus erecto ſupercilio: Sine litro, ait, hinc non abibit. Mox vidua: En, inquit, hunc hominem in filii vicem ſiſto. Regius gener ingenuo viri vultu delectatus, quam calleret artem quæſiit. Colendi horti, reſpondit Paulinus. Gratiſſimum id fuit. Ita viduæ filius in libertatem aſſertus: Ita Paulinus merx ipſa & mercator, pro homine ſe hominem vendit. Iam non liberalis, ſed ipſa liberalitas. Has Paulini *eleemoſynas* obſtupeſcit, *& enarrat omnis Eccleſia ſanctorum. In memoriâ æternâ erit juſtus. Nam eo ipſo*, inquit Gregorius, *quo facta ſua ſolius Dei oculis imprimit, nomen ſuæ memoriæ in æternitate figit.* Paulinum pæne omnis priſcorum Patrum ſenatus laudat. De morte Paulini Vranius, quædam de vitâ Antonius Gallus, qui humanioris litteraturæ ipſi præceptor fuit. Paulinum Ambroſius, Hieronymus, Gregorius Magnus, Gregorius Turonenſis laudant: Eumdem Proſper, Eulogius, Venantius Fortunatus, Severus Sulpitius deprædicant. Quanti hunc virum Auguſtinus fecerit, teſtantur ejus epiſtolæ, trigeſima ſecunda, trigeſima quarta, ſexageſima quinta, ducenteſima ſexageſima, & liber primus de Civitate Dei, caput decimum; Paulino librum de curâ agendâ pro mortuis Auguſtinus inſcripſit. Paulinus Romæ in æde divi Bartholomæi, quem in illâ ſepulchrali quiete ſocium habet, eſt conditus. *Eleemoſynas* autem *illius enarrat omnis Eccleſia ſanctorum.*

Paulinus ſeipſum dedit ut venderetur.

*Eccli. c. 31. v. 11.*

*Pſal. 111. v. 7.*

*Greg. l. 11. Moral. c.*

*Eccli. loc. citat.*

### §. IV.

ELeemoſynæ ſunt immortales amaranthi; liberalitas in pauperes nobiliſſimus amaricini liquor eſt, cælo terráque fragrans; miſericordia æterni nominis parens eſt.

Eleemoſyna æterni nominis parens.

Eberhardus avitâ majorum nobilitate illuſtris, ex Hilpoſtainiorum Comitum proſapiâ natus, in ſacrâ divi Benedicti familiâ ſe Deo devovit. Iámque Abbas Biburgi, in peregrinos & pauperes miræ liberalitatis fuit, nec ullum facilè ſine beneficio dimiſit. Biburgenſe hoc cœnobium miles adiit ex itinere, & hero

*Bavaria ſacta Matth. Raderi volum. 1. mihi pag. 133.*

Eberhardi in egenos liberalitas

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

hero ſuo ad reficiendas vires precarium vinum petiit. Præfectus rei vinariæ, vir ceterà pius ac religioſus, dominum officiosè recepit in cœnobium, famulo pro foribus relicto. Hic moræ impatiens, & inhumaniter, ut ſibi videbatur, excluſus, Ratisbonam abiit. Intellexit hoc Eberhardus, & mox monachum penoris procuratorem jam ſenem, quique propridie ſanguinem miſerat, Ratisbonam pedibus juſſit inſequi, & ei deferre vinum, cui negaſſet inhumanius. Miles jam urbē ingreſſus, & monachi ſuâ cauſsâ fatigati ſortem miſeratus, obſtupuit ad tam inſolitam benignitatem: oblatum verò vini calicem proniſſimis manibus accepit. Calix æterno dignus pretio, ſive jubentis ſpectes miſericordiam, ſive obedientiam parentis. Hic idem Eberhardus ex Abbate Archiepiſcopus Salisburgenſis omnes cogitationes ad vitæ innocentiam compoſuit, miſeros omni ope, conſilio & auxilio præſens abſens ſublevavit; pauperum ulceroſorum & elephantiacorum tuguria per ſe coram adiit, & reviſit, victûs & morbi ſubſidia benigniſſimè præbuit: ſordes, ſaniem, vomicas, tabóque fluentes artus ipſe contrectavit, nihilque prætermiſit officii, quod ab infimo quoque non ſine faſtidio & horrore præſtari ſolet. Quis Eberhardum Comitem noſſet, ni ſeipſum cælo terráque notum feciſſet tam præclarâ in egenos liberalitate? Hinc etiam illud Eberhardus obſtupeſcendum auſus. Die quadam tuguriolum ingreſſus, hominem leproſum in eo decumbentem reperit, cúmque, ſi quid vellet, interrogavit. Cui leproſus: Euchariſtiam deſidero. Mox allata, & ab Eberhardo in leproſi os immiſſa eſt. At æger vix ingeſtam cum vomitu velut nauſeans rejecit. Eberhardus manum ſuppoſuit, vomitum excepit, & in honorem Sacramenti tam fœdam expuitionem ipſe glutiit. Die poſtero ad eundem reviſurus non invenit hominem, dixeruntque vicini à multo tempore neminem leproſorum in eâ domunculâ habitaſſe. Ita ſatis perſpectum eſt, leproſi formam induiſſe Chriſtum, qui ſuorum fidem ac conſtantiam ſic ſolet experiri. In memoriâ æternâ erit juſtus, ab auditione malâ non timebit.

*Et ejus obſtupeſcendum factum.*

*Aug. in pſ. 40. v. 4.*

*Quapropter*, inquit Auguſtinus, *oculos Chriſtianâ fide in hæc promiſſa erige; non te deſerit Deus in terrâ & aliquid promittit in cælo: promiſſionem habes vitæ præſentis & futuræ.*

## CAPVT IX.

### *Eleemoſynas dare, Sanctorum omnium contentiſſimum fuit ſtudium.*

*Cant. c. 5. v. 14.*

IN ſacris carminibus Salomonis ſponſum cæleſtem ſponſa variè dilaudans: *Manus illius tornatiles*, inquit, *plenæ hyacinthis*, ornatæ gemmis & annulis. Qui manum habet plenam, priùs manum evacuat, quàm aliud eâ recipiat. Exemplo id monſtramus: Qui dexteram nummis aureis implevit, non antè herbas odoriferas recipit, quàm nummos aureos depoſuerit, aut excidere permiſerit: Chriſtus, qui manus habet pleniſſimas, à nobis ſtipem accipere, & illam ſupremi judicii die coram orbe vult extollere: *Dediſtis mihi; accepi à vobis*. Si ergo ſtipem à vobis accipiat, neceſſe eſt priùs plenas manus excutiat. Atqui manus illius plenæ gemmis, oppletæ hyacinthis: quâ igitur ratione accipiet aliquid à nobis? occaſionem quærit, quâ manus plenas in nos priùs evacuet. Hîc dare jucundum eſt, ſi plus, quàm dederis, accipias. Sic nemini non facillimum erit ac gratiſſimum dando diteſcere.

Hoc omnes amici Chriſti, hoc ſancti homines probè ſciverunt. Eam ob cauſſam contentiſſimis ſtudiis, id unum egerunt, ut quidquid poſſent, Chriſto darent, pro iis decuplo, centuplo, millecuplo, plura recepturi; pro plumbo aurum, pro vitris gemmas, pro ſilicibus uniones, pro quiſquiliis margaritas, pro crepundiis latifundia poſſeſſuri. Dederunt pauperibus, & theſaurum nunc habent in cælo. Hoc hominibus ſanctis omnibus exploratiſsimū fuit nil gratis dari Chriſto: propterea certarunt, qui alter alterum largiendo vinceret, reculas ſuas velut viles herbulas, affectu grandi, miſeratione magnâ, dederunt opulento & pauperi Chriſto, & decidētes interim hyacinthos collegerunt.

*Sãctis hominibus exploratū fuit nihil Deo dari gratis.*

Atque iſtud hoc capite dicemus, contentiſsimum omnium Dei amicorum & ſanctorum hominum ſtudium fuiſſe, ſua pauperibus largiri.

#### §. I.

DIverſa prorſus fuere hominum ſanctorum ſtudia. Inter hos ille magis ſolitudini ac ſilentio, iſte corporis caſtigationi ac jejuniis impēſiùs vacavit; hic legendo, ille contemplando ſeſe crebriùs exercuit; hic labores manuarios, iſte intentionem animi ardentiùs complexus eſt: orationibus & eleemoſynis propenſiſsimè vacarunt omnes. Canit Eccleſia: Omnes Sancti, quanta paſsi! Liceat inſcitè, modò piè dicere: Omnes Sancti quanta compaſsi! In hoc uno ſibi omnes ſimillimi, omnes, omnes; Diſperſerunt & dederunt pauperibus: iuſtitia illorum manet in ſæculum ſæculi.

*Pſal 111. v. 9.*

Patientiæ magiſter Iobus de ſeipſo: *Ab infantiâ meâ*, inquit, *crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum. 1. Si deſpexi prætereuntem, eò quòd non habuerit indumentum; & abſque operimento pauperem. 2. Si non benedixerunt mihi latera ejus; de velleribus ovium mearum calefactus eſt. 3. Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. 4. Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex eâ. 5. Foris non manſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit.* Hoc de ſanctis omnibus rectiſsimè dixeris: Ab infantiâ eorum cum ipſis crevit miſeratio, & ab utero cum illis egreſſa eſt. Hinc eorum plurimi ſeipſos ſuis etiam veſtibus ſpoliarunt, ut mendiculos algentes tegerent.

*Iob. c. 31. v. 31. Ibid. v. 19. v. 20. v. 16. v. 17. v. 32.*

Anno quadringenteſimo quadrageſimo nono Conſtantinopoli ſacerdos, & illius Eccleſiæ œconomus fuit Martianus, cum quo ſanè ab infantiâ crevit miſeratio. Hic veſtes ſuas pauperi daturus ſollicitè priùs circumſpexit, an ſine arbitro id facere liceret. Ita non ſolùm miſericordiam habuit, ſed vanā gloriam ne haberet, jugulavit. Sed viri ſanctimoniam Deus tantò minùs latere voluit, quantò magis illa latebras quæſivit. Siquidem Martianus dum ad aram faceret, ſub ornatu ſacrificantis auream veſtem indutus habere viſus, & ideò apud Patriarcham accuſatus eſt quātumvis innocens. Cùm enim ille diduxiſſet veſtem, inſons viri nuditas apparuit. Nec difficilis fuit conjectura veſtem auream à reginâ Miſericordiæ ſubmiſſam. Huic recens addo.

*Zach. Lippeloo die 10. Ianuarii.*

Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo Panormi civis primarius, qui Dominicum illud (*Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*) altè animo imbiberat, uni pauperum veſtes ſuas omnes donavit, certiſſimum habens, Chriſtum ab eo veſtiri, qui veſtiiſſet pauperem. Neque levis pretii fuerunt hæ veſtes è quibus ſolum pallium ducentis aureis æſtimabatur.

*Annales Societ. Ieſu dicto anno. Matt. c. 25. v. 40.*

Idem fecerunt Sanctorum plurimi, qui veſtibus, quas ſuo corpori detraxerant, frigentes egenorum artus velarunt. Fecit hoc Philippus Nerius. Fecit idem Arelatenſis antiſtes Cæſarius, qui etiamnum ſeptennis puer pauperibus modò palliolum, modò thoraculam, aliáque veſtimenta dedit liberaliſſimè: domi à parentibus ob id rigidâ quæſtione habitâ, reſpōdit, prætereuntes, ignotos homines abſtuliſſe. Idē Ægidius Abbas fecit, qui tunicam exuit, ut eâ pauperem ægrotum tegeret

*De his Zac. Lippeloo, Franc. Haræus, Baron. to 8. Plurimi Sanctorū ſuis veſtibus fugētes egenorum artus velarunt.*

regeret. Aidano Lindisfarnenſi Præſuli Rex Oſwinus nobiliſſimum equum unà cum phaleris donavit. Non ita multò poſt Aidanum equo vehentem pauper eleemoſynam rogavit, mox ille in pedes deſiliens, equum, ut erat ſtratus, mendico dedit abducendum. Iſtud Rex ægerrimè ferens, & præſulem ad menſam accerſens: Quid tibi volebas, inquit, domine Antiſtes, cùm viliſſimo mendicabulo equum regium donares? an non alius eſt modus hoc genus hominum juvandi? Cui placidè Aidanus: Rex, inquit, æternùm vive: ſed num tibi charior eſt filius equi, quàm filius Dei? Rex veniam dicti poſtulans ſe deinceps alienæ liberalitati legem non facilè definiturum ſpopondit. Aidano geminus Richardus Ciceſtrenſis in Angliâ Epiſcopus, pecuniis per eleemoſynas jam quidem exhauſtis, ſed integerrimâ etiamnum liberalitate, equum, quo vehebatur, vendi juſſit, ne deeſſet, quod egenis impendi poſſet. Sancti omnes diſperſerunt & dederunt pauperibus.

§. II.

Et hoc fecerunt Epiſcopi & Archiepiſcopi;

AMbroſius, Auguſtinus, Cæſarius, Gallus, tot alii præſules tantis ſtudiis rem curarunt pauperum, ut calices & vaſa ſacra ſtipem facerent. Beatus Gallus dicere ſolebat. Meus præceptor Columbanus æneo calice ſacrificavit, Chriſtus in cruce ferreum ſuo ſacrificio adhibuit, ſiquidem clavis ſuum ſanguinem propinavit.

Dublinenſis Archiepiſcopus Laurentius quotidie triginta, vel quadraginta, frequenter ſexaginta pauperes in oculis ſuis paſci voluit. Cantuarienſis Archiepiſcopus Thomas eâ liberalitate dedit, ut ipſe petentibus numquam, ſed ipſi defuerint ſervientes, nec umquam voluntas ceſſarit, ſed facultas. Colonienſis Archiepiſcopus Anno tam effusè pauperes fovit, ut ſæpe nec obolus danti ſuperfuerit: ſingulari ſtudio egenies parvulos complexus eſt, quibus ſuâ ipſe manu porrexit cibum. Ad principales hujus Epiſcopi ædes infinita turba mendicorum quotidie confluxit. Stipem omnibus, ſi fieri poſſet, menſam viginti quatuor præberi voluit quotidie. His convivis pedes ipſe lavit, & eis oſculum impreſſit; demum tam admiranda liberalitas non erubuit veſtem à Canonico petere, ut ſcilicet tegeretur Epiſcopus, nec turpe ipſi fuit operimentum in morbo mutuum accipere, nimirum ut ægrotus Epiſcoporum Antiſtes frigori reſiſteret.

Wolfgangus Ratisbonenſis Epiſcopus incenſâ & gravi annonâ coëmptum à ſe frumentum pretio dimidio viliùs vendidit. Ambianenſis Epiſcopus Godefridus in ſingulos dies tredecim mendicos menſâ refecit, quibus & pedes lavit. Leproſis ſtipem petentibus, cùm nummi deficerent, cibos è culinâ raptos diſtribui juſsit. Noluit œconomus. Si quid curatum velis, huic manda. Cùm verò pauperes dimiſſos antè, vacuos redire cerneret Godefridus, culinam ipſe ingreſſus (hoc omni vitâ numquam fecerat) quod proximum habuit, ſalmonem grandem è foco raptum leproſis dedit. OEconomus intervenit, & furere cœpit: nec mitram veritus, conviciis & acerrimâ invectivâ patientiſsimum præſulem, ut prodigum excepit. Hæc tamen omnia vir tam mitis quàm liberalis inſigni tolerantiâ concoxit. En, mi Lector, quâ ratione tres ſorores Liberalitas, Patientia, Humilitas de Godefrido certarint, & cum ſibi quævis vendicarit. Ab Epiſcopis ad purpuratos Patres tranſeamus.

§. III.

Et hoc uſurparunt Cardinales.

CArolus Borromæus, Cæſar Baronius, Robertus Bellarminus, quàm prono pectore, quàm munificâ manu inopiam pauperum ſublevarunt? Verè patres erant pauperum. De Bellarmino quædam admiranda, ſed minùs nota ſubjicio. Capuæ familias omnes ære alieno merſas, aut re domeſticâ deſtitutas; tum quæ olim divites (ut varia vita eſt) ad inopiam prolapſæ, tum quæ ſe divites numquam meminerant, in album juſſit excipi, atque harum ipſe ſubſidium fuit unicum. Conſuetudinem pro foribus annonam pauperum diſtribuendi cuſtodivit conſtanter, quamdiu vixit. Hinc quoties domum rediret, ante veſtibulum ipſum, in areâ, perque gradus confertim diſpoſitam neceſſitatem inveniebat. Imò in aulâ etiam non deerant, qui libellos ſupplices, in quibus inopiæ hiſtorias legeret, intranti offerrent, quorum poſtulatis mox ſatisfieri jubebat, dolebátque tantummodo, quia conari interim plura nequiret.

Divites plerumque faſtidiis pleni, pauperum occurſus velut peſſimi ominis larvas oderunt & arcent: At Bellarminus aſpectu mendicantium lætabatur. quos lætiſſimè ſalutans, vultu benignitatis pleno aſpiciebat, ut Chriſtum Dominum imitaretur, de quo vates regius prædixit: *Animas pauperum ſalvas faciet; ex uſurâ & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen illorum coram illo.*

Pſal. 71. v. 13. & 14.

Aliquando tantus ad ædium veſtibulum factus eſt concurſus, ut Cardinali omnis aditus obſtrueretur. Hîc familiâ quidam inopum turbam ſubmoverè niſus, unum ex eis ad terram dedit. Id Robertum ſupra modum afflixit, & ideo hominem ſeverè increpans verbis graviſſimis monuit, ne inopes, quos utique pupillam oculorum ſuorum eſſe non ignoraret, ita contemptim acciperet. Quod dixit, re monſtravit. Nam annui proventûs partem tertiam quot annis in pauperes erogavit. Cùm enim ex quo Capuæ Archipræſul eſſe deſiit, ad ſex aureorum ſeptémve millia redactus cenſus, & minor eſſet, aureos bis mille in pauperum penu diſtribuit. Quod rationes familiares teſtantur. His addenda, quæ clâculum & ſuâ manu diſtribuebat, diſpenſatori ſępenumero illud inculcans: *Colligite, quæ ſuperaverunt fragmenta, ne pereant.* Atque hoc genus quoddam interpretabatur, aliena veriùs reſtituentis quàm ſuamet erogantis. In pauperum tuguriola promptiſſimè ſe penetrabat, ſingulos, quî haberent, rogitans; ſimul etiam vigilantiorem illorum curam præfectis inopum demandabat. Demum ſi quem ſpes omnes reliquerant, hunc aſpicere tamquam filium & infortunium ejus tam ferre familiariter, quàm ſi ferret non alienum, ſed ſuum. Prorſus ut cum Apoſtolo poſſet uſurpare illud: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?*

Ioan. 6. v. 12.

2. Cor. 11. v. 29.

§. IV.

BEllarmini porrò vigilantiſſimam in pauperes curam luculentè teſtantur rara hæc & ſingularia. Habuit in ædibus ſuis ſolare horologium, ſed pilus ferreus, qui umbram ambulantem trahebat, ſede aliquantulum excuſſus fuerat. Cardinalis de reſtituendo eo cogitavit, ſed retardatus eſt, cùm rei pretium indicarent duos argenteos. Æſtimavit enim hos æquiùs ſeponi pauperibus, quàm in rem inſumi haud omnino neceſſariam. In hoc ſenſu abundavit adeò, ut qui tam præſtò eſſet egenis planè deeſſet ſibi. Hinc factum eſt, ut veſtes ſuas detritas reſarciri ſemper curaret. Fuit, ut ei crura humoris vitiati defluxu graviùs intumeſcerent. Mitigando malo ſuaſerunt medici, tibialia ſibi compararet laxiora. At ille ſubjecit, pecuniam eam qualemcumque congruere meliùs pauperibus; tibiis ſuis abundè fore, ſi quoquo modo tegerentur. Quare par veterum tibialium laxari, eiſque è panno ſimili partem aſſui juſſit. Oppoſuerunt familiares, hoc veteramenti genere prorſus operam ludi, nec tibialia, quæ ab annis jam octodecim habuiſſet, reconcinnari poſſe. Dum lis hæc tenet, adoleſcens adeſt cum epiſtolâ ſupplice ac eleemoſynam pro matre petit, quam

quam in itinere omni ope deſtitutam jacere dixit. Aulici qui aderant, commentum graphicè fabricatum interpretati ſunt, ut pecuniam veram ficta narratio referret. Sed Cardinalis, cui religio fuerat pro tibialibus ſex denarios in ſui commodum exponere, duos aureos adoleſcenti largitus, voti compotem dimiſit. Sic illum amor in pauperes, omnium, quæ domi eſſent, divitem, pro ſe omnium inopem effecit.

Hieme quantumvis ſævâ in conclavi ſuo ignem focúmque ſtrui vetuit, exemplo Pii V. Pontificis Maximi, ut lignorum pretium ad pauperes tranſiret. Copiam ſermonis è Britanniâ neſcio quis pauper & fame preſſus rogavit: Cardinalis continuò è menſâ, quàm accumbebat opſoniolum ſuum, quod uni ipſi, nec certè lautum famuli pararant, cum eo diviſit. Hunc in modum frequenter ſuo ſe victu fraudans, de menſâ ſuâ epulas pauperibus ſubmiſit. Quando in viâ pauperes & ægrotos offenderet, mox vel manu, vel geſtatoriâ ſellâ ad ægrorum hoſpitium eos devehi jubebat. Semel hominem pannis & morbi lue deterrimum ipſemet in rhedâ ſuâ collocavit, & ad xenodochium abduxit.

Vnus aliquis egenorum civium duodecim aureos petivit. Bellarminus, quia præſens pecunia non ſuppetebat, confeſtim annulum ex digito detractum ei dedit, adjectâ ſyngraphâ, ut eum ſuo nomine oppigneraret. Hoc autem quàm potuit occultiſſimè fecit. Alteri argenteum ſuum atramentariolum, cùm loculi non reſponderent, itidem oppignerandum tradidit. Simili modo plures alios juvit. Capuæ injunxit œconomo, ut rhedam ipſam cum equis divenderet, ne deeſſet unde egenis ſubveniretur. Atque hanc beneficientiæ virtutem in viris ſanctis non mirari magis, quàm imitari ſtuduit: illud & ſibi & aliis identidem inſtillans: Qui liberalis erga Deum eſt, is erga ſe Deum multò liberaliorem experietur. Hinc Robertus, laxiſſimis habenis in pauperum amorem & curam ferebatur, veriſſimo nomine Conſul inopiæ, & Tutor egeſtatis. *Diſperſit, dedit pauperibus; juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.* Sed à purpuratis Patribus ad ſummos Pontifices gradum faciamus.

*Pſal. 111. v. 9.*

§. V.

Summi Pontifices erga egenos liberaliſsimi.

SOter decimus tertius à Petro Pontifex, quantum ſtipis in egenos Chriſtianos præſertim ad metalla damnatos expenderit, Cæſar Baronius in ſacris Annalibus refert, quò vaticinium Iſaiæ ducit: *Suges lac gentium, & mamillâ regum lactaberis: pro ære afferam aurum.* Vrbanus I. decimus octavus Pontifex, qui Valerianum & Tiburtium ad Chriſti ſacra traduxit, cùm Cæciliæ Virginis opes poſtularentur: Has, inquit, manus pauperum jam aſportarunt in cælum. Leo IX. è Comite Dagſpurgenſi Tullonenſis Præſul, inde centeſimus quinquageſimus quartus Pontifex, vir antiqui & probi moris, in egenos benigniſſimus extitit. Illius ædes pauperibus, exteriſque confluentibus patuerunt. Leproſi ante palatium decumbentis miſertus, eum in lecto ſuo collocari juſſit. Poſtero mane cùm panderetur cubiculum, nemo eſt repertus, è quo facilis erat conjectura, qualis leproſus pridie fuiſſet ſuſceptus.

*Iſai. c. 60. v. 16. & 17.*
*Baron. to. 2. pag. 193. Anno 223.*
*Anno 1049. Dominicus Tempeſta mihi pag. 166.*

Sed in ſolio tam ſublimi vix ullus ſol effulſit, qui calore tam miti, tam largo pauperes calefecerit, atque Gregorius XIII. ſummus Pontifex, qui non Germanorum tantùm, ſed egenorum omnium pater extitit. Non continuit ſeſe ſanctiſſimi viri miſericors liberalitas intra noſtri orbis limites; novum ſibi orbem quæſiit, & ad ipſos penetravit Antipodas, illic quoque æternum ſui monimentum fixura. Gregorius namque partim in orientali Indiâ, partim in Europâ, grandi liberalitate tredecim illuſtria Collegia condidit ad juventutem moribus & litteris formandam. Hoc autem non annumerandum ſtipi, quæ uſque adeò excrevit, ut ex Senatuſconſulto Romæ votis omnium, huic Pontifici de egenis bene merentiſſimo ſtatua in Capitolio ſit poſita, æternâ voce patris optimi verè beneficum animum teſtatura. Inter cetera inſcriptum marmori hoc encomium: *Seſtertium octingenties ſingulari beneficientiâ in egenos diſtributum.* Sunt ipſi duo milliones, ſeu vicies centena millia aureorum. Diſperſit, dedit pauperibus. Verè dedit. Nam ſi Chryſoſtomo † credimus: *Non dare, ſed cum copiâ dare, eleemoſyna eſt.*

*2000000. Philippi. Ita Baron. to. 2 ad annum 175. num. 20.*
*† Chryſoſt. hom. 37. ad populum.*

Pius V. publico præſertim pauperum luctu, obiit Anno Chriſtiano milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto. Hic Pontifex, cùm lues & fames in Vrbe graſſarentur, magnam pecuniæ vim in pauperes effudit, addiditque illud paternum: Ea nunc ſunt tempora, ut & calices aureos & Eccleſiæ theſauros oppignerari velim, quo Chriſti membris ſubveniatur.

Silveſter I. ævo Conſtantini Magni trigeſimus quartus Pontifex tam ſanctus, quàm in pauperes benignus illuſtriſſimam ſui memoriam reliquit.

Clemens VIII. non ſolùm quotidie tredecim pauperes menſâ refecit, ſed & aliam menſam ſuæ vicinam quot diebus inſtruxit, quâ pauperes peregrini exciperentur. His è ſuâ menſâ optimos quoſque miſſus apponi voluit. Quâ in re non tantùm largitio, ſed & modeſtia ſummi Antiſtitis æſtimanda, quæ pauperes habere voluit ſibi tam vicinos.

Hoc benefaciendi ſtudium & oſtendit homines ſanctos, & facit. Ecquid tot alios commemorem.

§ VI.

Tiberius Imp. inopum fuit defenſor.

A Iuſtino proximus Tiberius Imperator hac benefaciendi arte aſſecutus eſt, ut de eo Gregorius Turonenſis hoc ſcriberet elogii: Tiberium Cæſarem elegerunt utilem, ſtrenuum, atque ſapientem, eleemoſynarium, inopúmque optimum defenſorem. Hic Imperator cùm theſauros, quos Iuſtinus acervarat, in egenos partiretur, Sophia Imperatrix Auguſta non ſine felle ſæpius objecit, eâ ratione Rempublicam ad incitas devolvi; plurimis annis à ſe collecta, nimis improvidè jam dilapidari. Cui Tiberius: Ne quæſo, ajebat, in damnum noſtrum ſolliciti ſimus; captivis litrum, egenis eleemoſynam debemus; neutra pars ſuo fraudanda eſt. Illos & iſtos juvemus, & ærario noſtro numquam deerit, quod porrigat. An Chriſti monitum ignoramus? *Theſaurizate vobis theſauros in cælo.* Demus ei, qui prior dedit nobis, & ſciamus nos non eſſe immortales. Præmittamus illuc optima quæque, quò ſperamus nos breuî ſecuturos. Ita Tiberius ſe Chriſtianum eſſe commeminit, & in dies magis ac magis laudatiſſimam in pauperes liberalitatem auxit. Nec Deus liberalitate ſe vinci paſſus eſt. Nam cùm per aulam ſpatia faceret, lentéque obambularet, in pavimento tabulam vidit marmoream, cui crux inſculpta. Hîc ille ſecum: O Chriſte, inquit, tuâ cruce frontem & pectus ſignamus, cur ea pedibus calcatur? Mox igitur tolli marmor imperavit. Sublatum eſt, ſed aliud ſigno eodem inſculpto repertum Cæſaris juſſu ſublatum, & inventum tertium. Quo pariter amoto theſaurus ingens, aliquot auri centumpondia ſunt eruta. Hoc pabulo Tiberiana largitas lautiſſimè paſta maximas ſibi vires ſumpſit in pauperum curâ. Sed neque hîc divina liberalitas ſtetit.

*Matth. c. 6. v. 20.*

Dei erga eum liberalitas & munificentia.

Narſes Dux Italus militiæ, domum ſibi delegit, in quâ plurimum argenti & auri, nobilem prædam, defôdit, paucis conſciis. Sed & hos ipſos è medio clam tolli juſſit, atque unicum ſenem jurejurando adſtrictum theſauri cuſtodem dixit. Sed ô bone Dux, *quæ paraſti cujus erunt?* Paullò pòſt Narſes ipſe in loculo ad theſauros ſuos correpſit in terram. Senex, theſauri cuſtos, ne in ſuum ipſe caput grande malū cude-

*Luc. c. 12. v. 20.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A ret tacendo,latẽtiſſimam aurifodinam Imperatori detegens: Narſetis, inquit, theſauros hactenus cuſtodivi, nunc in manu tuâ ſunt, Auguſte,ſi velis. Tiberius certos homines,qui captivum metallum educerent è carcere,cum ſene miſit. Tam multum aureæ prædæ repertum eſt, ut in abditis his divitiis ad aulam tranſportandis dies aliquot laboratum ſit En alteram Dei munificentiam in Tiberium, qui tam blandis ſtimulis incitatus largitiones ſuas effuſiſſimis ſtudiis ampliavit. O pulchrum certamen, cùm Deus & homo certant liberalitate! Hîc Deus numquam non victor: hîc autem vinci ſuaviſſimum eſt. Certamen hoc ſanctorum omnium fuit. Diſperſerunt omnes, & dederunt pauperibus.

*Thom. Cantiprat. l. 2. de miraculis ſui ævi c. 25. mihi pag. 206.*

Theologus & Cameracenſis Proëpiſcopus Thomas recenſet, virum nobilem, Adamum de Belomeir illud itineris ingreſſum, è quo ante complures dies B non rediturus putabatur. Interim à conjuge hoſpitium rogat leproſus. Admittitur. Lectum etiam deſiderat: In domini lecto reponitur. Ex improviſo redit dominus, & viâ feſſus ad lectum properat. Diſſimulare id uxor conata eſt, & virum ad conclave aliud diducere. Maritus,non optima ſuſpicatus,irrumpit vi,ſed lectulum ſuum mediâ hieme roſis conſtratum invenit. Admiranti uxor, & odoris originem petenti omnia ex ordine recenſet. Ita vis eleemoſynæ atque innocentiæ utrimque patefacta & agnita eſt. Ambo in laudem Domini Iesv, & unà in lacrymas ſoluti ſunt. Optimè dixit Ambroſius,quod auro ſcribendum,& ad omnia limina præfigendum: *Nihil tam commendat Chriſtianam animam, quàm miſericordia.*

*Ambr. tc. 5. l. 1. offic c 11. mihi pag. 428.*

Hinc jam olim naſcente primùm Eccleſiâ ingens Chriſtianorum ſtudium in eleemoſynis largiendis. De his Tertullianus verba faciens: *Hæc*, inquit, *depoſita pietatis ſunt. Nam inde non epulis, non potaculis (hic Afri ſtylus eſt) nec ingratis voratrinis diſpenſatur, ſed egenis alendis, humandiſque, & pueris ac puellis re ac parentibus deſtitu-* C *tis, jámque domeſticis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis, vel cuſtodiis, Dei cauſſâ, alumni ſuæ confeſſionis ſunt. Sed ejuſmodi vel maximè dilectionis operatio notam nobis inurit penes quoſdam: Vide, inquiunt, ut invicem ſe diligant? & ut pro alterutro mori ſunt parati?*

*Tertull. in Apolog. c. 39. mihi pag. 68.*

§. VII.

VIdete, in quot rivos Chriſtiana eleemoſyna ſe diffundat, viduis, pupillis, ſenibus, orphanis, egentibus, ægrotis, mendicis, naufragis, ipſis etiam mortuis impenditur, in tuguriola, in domos, in ergaſtula, in triremes, in carceres, in latumias ſubſidio venit. Neque noſtro hoc ævo priſcum benefaciendi ſtudium eſt extinctum. Romæ olim Publius Victor numeravit templa ſeu ſacella centum quinquaginta, nũc ajunt in Vrbe, & Vrbis ad duo milliaria circuitu tria millia templorum contineri. In eâdem hac Vrbe Ro- D mâ, viginti quinque opulenta & ampla Xenodochia ſunt ægrotis, pauperibus, peregrinis recipiendis.

*Vide Thom. Bozium de ſignis Eccleſ. l. 10. c. 9.*

Antwerpiæ quatuor ex more pauperum præfecti ſuperioribus annis ſingulis florenorum ſexaginta, quin & ſeptuaginta, adeòque octoginta, pluráque etiam florenorum millia collegerunt. Quid integrâ Republicâ ſperari poſſet, cùm hac proſtratâ, & annorum ſexaginta civilium bellorum colliſionibus deſtitutâ, commerciis nudatâ, nobilitate exhauſtâ, ingentia tamen videamus munificentiæ documenta. His in eâdem urbe minimùm triginta tria egentium domicilia, variorum civium liberalitate dotata, ſunt annumeranda.

*Scribanius in ſuâ Antvverpiâ ſit. Liberalitas.*

Vt alias in Germaniâ civitates taceã, in vicino Monacenſibus cœnobio non amplo, nec divite, anno tamen unico viginti millia panum in pauperes diſtributa ſunt. Fuit in Germaniâ ſuperioribus annis Archiepiſcopus (uti exploratâ fide memorant) qui annis ſingulis ſeptuaginta millia florenorum in egentium uſus expendit. Hic certè Antiſtes, quod Nabuchodonoſori ſuaſum, peccata ſua eleemoſynis redemit, & mercatus eſt cælum.

*Wolf. Theodoric. à Raitenau Salisb. Archiep. Dan. c. 4. v. 24.*

Carolus V. Imperator, etiamnum adoleſcentulus ſubinde uno die crumenam in pauperes deplevit ſepties. Dabantur autem illi unâ vice ac doſi quadraginta floreni. Quin imò etiam quandoque flevit Carolus, quòd non poſſet dare omnibus alienâ ope indigentibus. Hinc jure merito regum omnium ac principum liberaliſſimus eſt habitus. Iucundum dictu eſt, quod attexo.

*Lau. Surius parte 2. in Chro. German. ad an. 1558. mihi pag. 271.*

In Galliâ Belgicâ inter Francorum regni limites, & Namurcum oppidum, Alnenſe Monaſterium Ciſtercienſis ordinis amplum, & copioſum eſt, cujus Abbas vir pius & liberalis, non ſolùm in pauperes munificus, verùm etiam in peregrinos tam hoſpitalis fuit, ut illud cœnobium montibus ac ſilvis abditum, velut Abrahæ domus, omnium hoſpitum videretur eſſe receptaculum. Quid opus multis? Ne quis hoſpes impranſus aut incenatus temerè tranſiret, monaſterii portæ verſiculum iſtum quadratis litteris inſcribi juſſit:

*Vide Ioan. Duſſeldorpii Hodœporicum Hieroſol.*

*Porta patens eſto, nulli claudaris honeſto.*

Hæc religioſa hoſpitalitatis virtus, antiſtitem omnibus adeò amabilem, charúmque reddidit, ut omnium præſertim egentium diceretur Pater. Et pauperes quidem quotidianis eleemoſynis fovebantur; ditiores tantæ humanitati & beneficentiæ grati majora in cœnobium munera conferebant. Abbate hoc defuncto, pæne omnis cum eo liberalitas eſt mortua. Ejus ſucceſſor Martinus, ad rem nimiùm attentus beneficentiam abolere, hoſpitalitatem minuere, verſiculum januæ inſcriptum, non quidem eradere (invidiam metuebat) ſed mutare, geminiſque ſolùm punctulis vafrè tranſlatis in ſenſum planè contrarium contorquere, jámque hoc modo legendum proponere:

*Porta patens eſto nulli, claudaris honeſto.*

Res multorum ſermonibus agitata, demum ad ſummi Pontificis notitiam pervenit, qui Abbatem inter Cerites retulit, & officio abire juſſit, non quòd maleficus eſſe cœpiſſet, ſed quòd deſiiſſet eſſe beneficus.

Egenis benefacere primum ac ſummum fuit ſtudium in ſanctis omnibus. Diſperſerunt, dederunt pauperibus. Oraculum Salomonis longè certiſſimum neminem fallit: *Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur.* Multi eum oderint, at ille benedicetur. Plurimi eum contumeliis lacerent, at ille benedicetur. Sunt qui damnis eum afficiant, at ille benedicetur. Orbis illum execretur, at ille ſupremo die inter beatos audiet: Venite benedicti, percipite regnum. Ita benedictus erit in æternum. *De pane enim ſuo* (ait rex ſapientiſſimus) *dedit pauperi.* Fortaſſis panem habuit unicum, ſed hunc ipſum diviſit, & in partem vocavit pauperes. Æterna benedictio tam benevolam manum remunerabitur. Idcirco Paulus vociferatur & urget: *Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivиſci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Hecatombas & vel centum Aquilarum ſacrificia non curat Deus. Miſericordiam vult, & mentem in eleemoſynas pronam. Dicturus cauſſam, ait Chryſologus, *in judicio Dei, patronam ſibi miſericordiam, per quam liberari poſſis, aſſume.* Communionis & beneficentiæ non obliviſcere.

*Prov. c. 22. v. 9.*

*Ibidem.*

*Hebr. c. 13. v. 16.*

*Petr. Chryſolog. ho. 8. mihi pag. 27.*

GAZO-

# GAZOPHYLACIVM CHRISTI.

## PARS ALTERA.

## QVOMODO DANDA SIT ELEEMOSINA.

### CAPVT I.

*Quomodo, præſertim quàm exporrectâ, celeri, expeditâ manu dandæ ſint Eleemoſynæ.*

Differētia inter ſtomachum & ſplenē.

DVÆ humani corporis partes ſtomachus & ſplen unâ alteráve functione ſibi ſimiles, aliâ diſsimillimæ ſunt. Alimentum quidem ſplen ad ſe trahit, ſed ſæpe ſuo damno, nam inde intumeſcit & oppilatur. Stomachus bonus, quod accipit, fideliter in cetera membra, velut paterfamilias diſtribuit. Salomon de valde diſpari ingenio hominum diſſerens: *Alii dividunt propria, inquit, & ditiores fiunt: alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* Illi, ut bonus ſtomachus dividendo, & ſe & corpus omne conſervant; iſti, ut ſplen trahunt ad ſe etiam aliena, ſed in ſuam B perniciem.

*Prov. c. 11. v. 24.*

Stomachus damnum accipit, non ſolùm ab inopiâ, cùm non habet quod digerat, ſed etiam à copiâ, cùm ſemper & nimium habet quod coquat. Sic enim plurimum impeditur, ſibi & aliis membris alimoniam acervando graviſſimè nocet. Ita prorſus hi tales corradunt divitias, detrimento ſuo maximo: In egeſtate aut ſpiritûs ſunt, aut certè corraſis opibus frui non poſſunt. Optimi ſtomachi nota eſt, bene concoquere, largè diſtribuere. Hi propria dividunt, & ditiores fiũt.

Dividendum eſſe in parte primâ diximus. Quomodo dividendum ſit, hac alterâ exequemur. Atque ut præceptiones non multæ tantò tenaciùs infigantur memorię, quantò compendioſiùs; tres illarum ſuis voculis comprehenſas hoc caput explicabit. Sunt iſtæ. *Da ipſe eleemoſynam: Da dictante ſyllabo: Da citò.* De his nunc plura.

Tres modi in largiendis eleemoſynis.

### §. I.

1. Modus: Da ipſe eleemoſynam.

C PRimus modus in largiendis eleemoſynis eſt, *Da ipſe eleemoſynam.* Oſtende manuum uſum te nondum perdidiſſe. Immitte dexteram in marſupium, aut caniſtrum, & ipſe nũmos aut panem porrige. Hoc iis præcipimus, quos dignitas eminentior, aut mos non aliud cogunt facere. Qui cœnobiis clauduntur, rariſſimè dant ipſi ſuâ manu eleemoſynas; nihilominus in religioſis familiis nemini non conceſſum, ſubinde vices janitoris fungi, & ad cœnobii portam pauperrimę tribui ſtipem & panes partiri. Ita nec ſummo Pontifici, nec Romano Imperatori, nec Principum ulli vetitum, eleemoſynas quandoque non alienâ, ſed ſuâ manu largiri. Res eſt optimi exempli & Chriſtianæ humilitati congruum.

*Obiit Anno 1034. die 20. Augusti: ita Frãciſ. Haræus.*

Pannoniæ Rex Stephanus tam Romæ quàm Conſtantinopoli, & Hieroſolymis Collegia, templa, xenodochia exædificavit, & amplis cenſibus dotavit. Sed hæc omnia dediſſe tam ſanctæ liberalitati parum erat, niſi & ipſum Chriſtum pauperem ſuâ manu ditaret. A Igitur quadam nocte crumenam nummis turgidam pro comitatu regio aſſumens, in pauperum turbam ſe immiſit. At illi monetæ nimis avidi, temerarias manus nec à regis vultu abſtinuerunt & ut alter alteri argentum præriperet, regi barbam evulſerunt. Licentioſa hæc mendicorum improbitas, profectò regi nobiliſſimum ſanctimoniæ teſtimonium dedit: & quod fatale aliis, hoc lucroſum fuit mendicis. Nam tantùm abfuit optimum regem in hanc hominum fęcem excandeſcere, ut etiam ſibi ipſe gratulatus, Chriſto & ejus beatiſſimæ Matri, corpore in terram abjecto, gratias egerit, quod iſtud largitionis ſuæ præmium retulerit. Et verò ſeipſum ſuaviter irridens: Impoſterum, ajebat ipſe ſecum, in mendicos aut plus monetæ ſparges, aut plus barbæ amittes. Sed noluit Deus adeò ſinceram munificentiam tam illuſtri Patientiæ ac Humilitati junctam præſenti carere præmio. Solebat Rex Stephanus frequenter interrogare, de pauperum & ægro- B torum valetudine; & mox vel florum, vel panis, vel pomorum, vel pecuniæ aliquid mittebat ægro recreãdo. Sed & illud plerumque addebat: Dic ægroto illi, ut quamprimùm convaleſcat. Vox eventum habuit non raró. Nam multi ad has voces & ſuaviſſimum regis imperium continuò ſani & incolumes ſurrexerũt. Ita Stephanus eleemoſynis, quas ipſe dedit, modeſta & occulta patravit miracula.

Beatus Paulus hanc ipſam eleemoſynæ legem ſervaturus: *Nunc igitur proficiſcar, inquit, in Hieruſalem, miniſtrare ſanctis. Probaverunt enim Macedonia & Achaja collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Hieruſalem. Placuit enim eis: & debitores ſunt eorum. Hoc igitur cùm conſummavero, & aſſignavero eis fructum hunc, per vos proficiſcar in Hiſpaniam.* *Iſta audiant,* inquit Chryſoſtomus, *& divites, & pauperes. Si enim qui manibus ſuis victum quærebant, officinæque præerant, tantam oſtenderunt largitatem, ut multis Eccleſiis eſſent utiles: quam veniam habebunt divites? Nam illi quidem neque ſanguini ſuo pepercerunt, ut Deo placerent: tu verò modicis pecuniis parces, tuam* C *ipſius animam ſæpenumero contemnens? Confer nunc iſtis tua, ſtudium pecuniarum, contentionem pro vili gramine: & tunc videbis, quinam illi, quis verò tu ſis. Non dicit Paulus: Proficiſcor eleemoſynam deferens, ſed miniſtrans. Si verò Paulus miniſtrat, cogita quantum ſit, quod ſit, nimirum quod Doctor orbis deferendum recipit, & quod ad Romanos peregrinaturus, quódque illos uſque adeò videre deſiderans, hoc tamen illi præfert.*

*Rom. c. 15. v. 25. 26. 27. 28.*

*Chryſ. to. 5. hom. 35. in ep. 15. ad Rom. mihi pag. 267. & ſeqq.*

Non immeritò miratur Chryſoſtomus, concionatorem Orbis ſepoſito tantiſper concionandi officio & negotiis omnibus, non per internuncium, nec ullum alium, ſed per ſeipſum eleemoſynas ſubminiſtrare voluiſſe. Hoc agebat, ut eas ipſe ferret, ipſe daret. In rebus pleriſque omnibus documẽtum optimum eſt: Si quid curatum velis, ipſe cura, & non aliis manda. Si adeſſe non poſſit domini manus, ſaltem adſit oculus. Si laborem ipſe ſuſcipere non poſſis, ſaltem laborantes oculo præſenti ac vigili cohortare. Idem in eleemoſynis ſervandum: exporrige manum, da ipſe ſtipem mendi-



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

cos ipſe alloquere,& tuum illis fructum aſſigna ipſe.

Germani veteres in eo genere religioſiſſimi filiorum aut puellarum manibus inſerebant ſtipem, ut ſic liberos à cunis aſſuefacerent dandis eleemoſynis. Margarita Hiſpaniarum Regina liberos ſuos à teneris unguiculis ita erudiit, ut ipſi non prono ſolùm affectu, ſed ſuâ etiam manu largirentur ſtipem. Ergo da ipſe eleemoſynam.

### §. II.

2. Modus: Da dictāte ſyllabo.

Alter in dandâ eleemoſynâ modus eſt: *Da dictante ſyllabo.* Memoria humana non ſolùm non immenſa, non infinita, ſed labilis, & fluxa, idcirco ea continuis ſubſidiis fulcienda. In eam rem ſunt ſchediaſmata, ſunt chartulæ ac ſyllabi, ſunt ſigna & libelli, qui ſæpius inſpecti memoriam vellicent, ne ipſi ſubrepat oblivio. Hîc prorſus ita faciendum; Pater aut materfamilias ſæpius quærant. Quid fit? num pauperibus datur, quod dari juſſum eſt, & quomodo datur? Hoc ægrotis, hoc captivis, hoc aliis deferendum dedimus, num delatum eſt? Illi autem, qui multis ſtatas dant eleemoſynas, ſyllabos ſuos & nomenclaturas crebrò conſulant, & ne quid obliviosè aut negligenter hîc agatur, videant.

Beatus Fulgentius Epiſcopus, qui letali in morbo aſſiduè precabatur; Domine IESV, hîc modò patientiam, & poſteà indulgentiam: hic ipſe moriturus omnium pupillorum, viduarum, egenorum nomina exactè tenuit, & diſcriminatim atque diſpoſitè præcepit: Huic tantum pecuniæ dato, illi minus, plus iſti. Quia verò non omnium talis eſt memoria, tam tenax, tam ampla & fida, neceſſarium eſt, chartam interrogare; ſyllabus juvet. Vt oſtendas rem tibi curæ eſſe & cordi, nonnumquam quære: Quid meus dicit ſyllabus? quæ nomina ſuggerit expungenda? Hoc Gregorius Magnus, hoc Ioannes Patriarcha Alexandrinus, hoc & alii fecerunt, qui non graciles libellos, ſed codices & volumina nominibus pauperum impleverunt. Hîc ſeriò agendum & graviter; Res Domini eſt.

Sed & in aliis rebus innumeris terrarum Orbis longè meliùs adminiſtraretur, ſi negotia non adlabentis memoriæ ſegnitiem, ſed ad monitoris ſyllabi ſuggeſtionem ordine conficerentur.

*Guido Pancirollus to. 1. memorab. mihi pag. 736.*

Romani olim ſervos alebant, quorum hic unicus labor, cives Romanos noſſe, & nomina eorum memoriâ complecti. Hos nomenclatores appellabāt. Eorum uſus tūc maximè opportunus, cùm dominis ſuis Candidatis & magiſtratum ambientibus civium nomina ſuggerebant, prout quiſque obvium ſe dabat. Ita Candidati ſingulis ſuo nomine compellandis omnium benevolentiam captare potuerunt. Majore enim voluptate afficitur, qui ſuo ſe nomine compellari audit, ejúſque animus ita compellanti magis conciliatur, quàm ſi velut ignotus ſalutetur. M. Catoni etiam, ait, Tullius, nomenclatorem fuiſſe, qui obviorum nomina inſuſurrarit.

*Luc. c. 16. v. 9.*

Enimverò & nos, quotquot cælum ambimus, Candidati ſumus, Amici Numinis, qui prenſandi, ſunt pauperes. Hos digito monſtrans Servator: *Facite vobis amicos*, inquit, *de Mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Hi amici, hi fratres Chriſti ſunt; hi ambiendi à nobis, horum captanda eſt benevolentia, horum noſcenda ſunt nomina. Adſit igitur nomenclator ſyllabus, qui moneat: da huic, da illi pauperi; cras iſtis atque illis, atque aliis largiendo ſubveni. Nullus ſenum, quantumvis ceterà obliviosſus, meminiſſe deſinit, quo loco aurum defoderit, aut cui pecuniam mutuam commodarit. Hîc avaritia memoriam reddit fideliſſimam; hîc nullo nomenclatore opus eſt. At cùm dandum eſt, & quidem gratis, cùm pauperes ſunt juvandi, hem quàm facilis obrepit oblivio? quàm fallax & lenta, quàm ſegnis & infida hîc ſolet eſſe memoria? cui ea hîc non labat, quem non deſtituit? Quapropter monitor neceſſarius; nomenclatore opus eſt. *Da igitur dictante ſyllabo.*

### §. II.

3. Modus; Da citò. Tria optāda Chriſtiano.

Tertius in dandâ ſtipe modus eſt: *Da citò.* Chryſoſtomi ſenſu tria ſunt optanda Chriſtiano. Vt velit, ut poſſit, ut compleat. Multi volunt, ſed non poſſunt. Sunt, qui poſſint, ſed nolint. Sunt, qui velint & poſſint, cœpta tamen non compleant, ſed cunctando & procraſtinando, vel etiam ceſſando perdant. Communis morbus eſt ditiorum, *Differre.* Frequentiſſimæ ſunt illis hæ voces: Cras veni, perendie redi; ſequenti menſe id fiet, poſt medium annum videbimus. O nullum auxilium, & frigidum ſolatium, quod præbet tam exoſa cunctatio!

Differre eſt cōmunis ditiorum morbus.

Labes ævi noſtri eſt pæne omnia procraſtinare.

Hæc ævi noſtri, in aulis præſertim & curiis labes maxima eſt, pæne omnia procraſtinare. Quoties illud Areopagitarum res ipſa pronuntiat. Poſt centum annos. Hinc lites in annos eunt, & in ſæcula, hinc fortunarum everſiones, hinc mala innumera.

*Differre honeſta ſemper ſerum & noxium;*
*Iactura vitæ maxima eſt dilatio.*

Quomodo veteres dilationis dāna depinxerūt.

Veteres dilationis damna ſubjecturi oculis pinxerunt erinaceum, cum inſcriptione: *Procraſtrinationis damna.* Erinaceus cùm difficillimè pariat, partum, quamdiu poteſt, extrahit & procraſtinat, quò autem longiores moras interponit enitendo, hoc acerbiùs pungitur, & laceratur. Ita multi quò pariendo tardiùs, hoc & ægriùs dant: longè ſuaviùs dediſſent, ſi dediſſent citiùs. Differendo magis adglutinatur pecunia, & difficiliùs exit è manu. Hîc illud Domini opportuniſſimū: *Quod facis, fac citò.* Eccleſiaſtes ad tollendas moras exſtimulans: *Manè*, inquit, *ſemina ſemen tuum, & veſperi non ceſſet manus tua: quia neſcis, quid magis oriatur hoc an illud. Pigri in dies actiones ſuas procraſtinant.* Cunctatione res omnes redduntur imperfectæ, præſertim beneficientia, quæ ſæpè tantò eſt ſterilior, quantò lentior & moroſior.

*Ioan. c. 13. v. 27.*
*Eccle. c. 11. v. 6.*
*Plaut. in Bacchid.*

Beneficentia cūctatione redditur imperfecta.

*Prov. 3. v. 28.*

Sapienter ac fideliter monens Salomon: *Ne dicas*, inquit, *amico tuo, vade & revertere, cras dabo tibi, cùm ſtatim poſſis dare. Dabo tibi*, vox aurea, vox optima, ſed & penitus corrumpit nequiſſimum Cras.

*Martial. l. 5. epigram. 54. in aliis epig. 60.*

*Cras te victurum, cras dicis, Poſthume ſemper,*
*Dic mihi cras iſtud, Poſthume quando venit?*
*Quàm longè cras iſtud ubi eſt, ant unde petendum?*
*Numquid apud Parthos, Armenióſque jacet?*
*Iam cras iſtud habet Priami vel Neſtoris annos:*
*Cras iſtud quanti, dic mihi poſſit emi?*
*Cras vives: hodie jam vivere, Poſthume ſerum eſt.*
*Ille ſapit, quiſquis, Poſthume, vixit heri.*

*Ariſtot. l. 9. hiſt. animal. c. 37. & 32.*

Torpedo piſcis torporem imprimit & piſcibus & piſcatoribus: ſic alios piſces capit, ſic piſcatores eludit. Dilatio planè torpedo eſt, quæ liberalitatem efficit ſegnem, & cunctabundam, & hoc ipſo admodum ingratam. Luciani ſcitum eſt: Gratia, quæ tarda eſt, ingrata eſt gratia.

*——— Gratia namque*
*Cùm fieri properat, gratia grata magis.*
*Si bene quid facias, facias citò, nam citò, factum*
*Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.*

Citò facere proprium eſt libēter facientis.

*Senec. l. 2. de benefic. c. 1. & 1. 5.*

Beneficiū autem ingratum, quod diu inter manus hæſit.

Nam quod Annæo credemus, omnis benignitas properat, & proprium eſt libenter facientis, citò facere. E priſcis ſapienter & verè dixit Publius: Beneficium bis dat, qui celeriter dat; & minùs decipitur, cui negatur celeriter. De beneficiis tam eruditè quàm Chriſtianè diſſertans Seneca: *Sic demus*, inquit, *quomodo vellemus accipere. Ante omnia libenter citò, ſine ullâ dubitatione. Ingratum eſt beneficium, quod diu inter manus dantis hæſit, quod quis ægrè dimittere viſus eſt, & ſic tamquam ſibi præri-*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*præriperet. Etiamſi quid moræ intervenit, evitemus omni modo, ne deliberaſſe videamur. Proximus eſt à negante, qui dubitavit, nullámque meretur gratiam. Nam cùm in beneficio jucundiſſima ſit tribuentis voluntas; qui nolentem ſe tribuiſſe ipſâ cunctatione teſtatus eſt, non dedit, ſed adverſus ducentem, malè retinuit. Gratiſſima ſunt beneficia parata, facilè occurrentia, ubi nulla mora fuit, niſi in accipientis verecundiâ.*

*Ab eo, qui ſuum trahit, alio malè renitente.*

In teſtimonium venit Publiana illa ſententia:

*Bis eſt gratum, quod opus eſt, ultrò ſi offeras.*

Nihil æquè amarum, quàm diu pendere. Æquiore quidam animo ferunt, præcidi ſpem ſuam, quàm trahi. Quare veriſſimum exiſtima, quod ille Comicus dixit:

*—— Quid? tu non intelligis*
*Tantum te gratiæ demere, quantum moræ adjicis?*

Inde illæ voces, quas ingenuus dolor exprimit: *Fac, ſi quid facis.* Major eſt muneris gratia, quò minùs diu pependit. Qui tardè, & diem de die extrahens profuit, non ex animo fecit. Ita duas res maximas perdidit, & tempus & argumentum amicæ voluntatis. Tardè velle nolentis eſt. In omni negotio non minima portio eſt, quomodo quidvis dicatur aut fiat. Multum celeritas fecit, multum abſtulit mora.

Quia duas res maximas perdidit, tempus ſcilicet & argumētum bonæ voluntatis.

§. IV.

*Leontius in vitâ illius c. 30.*

IOannes Alexandrinus Patriarcha templum beatorum Martyrum Cyri & Ioannis peregrinando viſere inſtituit. Cùm urbis portâ jam egrederetur, accurrit mulier, & opem poſtulans: Vindica me, inquit, injuriam patior à meo genero. Hîc Comites ſuadent Ioanni cauſſam, nec ſuo tempore nec loco delatam, poſt reditum diſcutiendam: faceſſeret tantiſper importuna mulier. At Ioannes: Et quomodo, ait, orationem noſtram audiet Deus, ſi ego hanc negligam audire? Deinde quis mihi vitam ſpondebit in craſtinum? Hinc non abibimus, dum jus dicamus, & vindicemus oppreſſos.

*Iob c. 31. v. 16.*

Ioannes à Iobo hoc didicit, qui de ſeipſo: *Si oculos viduæ,* inquit, *expectare feci.* Orbem inſpice, & paſſim nihil minùs fieri videbis. Vbiq; procraſtinationes innumeræ. Obviæ ſunt voces illæ: Vade & revertere, cras dabo tibi. Longè aliud in corpore humano cernimus: cùm unico membro ægrè eſt, mox adſunt alia, opem allatura; cùm ictus minatur capiti, mox ſeſe objiciunt manus; quando cor in arcto eſt, mox accurrit ſanguis. Nos ſub uno capite, in uno corpore membra ſumus, cur non alterum ab altero, idque feſtinatis auxiliis juvamur? Cunctatio jactura vitæ maxima. Notæ ſunt vel pueris Petri Telonarii moræ.

*Leontius in vitâ Ioan. Eleemoſynarii c. 12. mihi pag. 189. apud Roſvv.*

Petrus tã dives, quàm avarus, & in pauperes aſper, ſermonem dedit iis maximè, quibus nihil eleemoſynæ dedit. Hoc vel inde clarum fiet. Hieme cùm in ſole apricarentur mendici, variis narratiunculis eas domos commendare cœperunt, quæ liberaliùs darent, vituperare illas, & atro calculo notare, quæ mœſtum illud: *Abite, Abite,* occinerent. Hîc multa Petri Telonarii mentio. Vnus aliquis mendicorum, velut curiæ præſes ſingulorum ſententias perrogare, num ullus unquam vel miculam accepiſſet à Petro avarorũ omnium primipilo; negare ſinguli ſe vel obolum, vel buccellam, vel tegetis particulam ab eo unquam accepiſſe. Hîc audacior unus: Pignore, inquit, contendam, ni hodie ſtipem ab eo extorſero. Enimverò, tu dic, mecum quo pignore certes? ita ſim ſalvus, ut Petrus hoc ipſo die daturus eſt. Omnes liberaliter depoſuerunt; Æthiopem illum lavari non poſſe. Mendicus ad omnem vafritiem factus, ad illius avariſſimæ domûs oſtium ſe collocat, vocem, manus, vultũ, oculos, corpus omne componit ad nummulum vel panis fruſtillum extorquendum. Brevî approperat ipſe Petrus, & quod opportuniſſimè cecidit, cum eo ſimul jumentum panibus onuſtum. Hîc mendicus velut in ſcenam proſiliens, non ſolùm voce flebili, ſed & manibus protenſis & oculis flere juſſis, & geſtu lacrymabili ſic perorat, ut Petrus invitum ſe moveri ſentiens in indignationem proruperit, & lapidem circumſpexerit, quem in mendici caput projiceret. Lapide non invento, furor ei panem pro armis miniſtravit. Mendicus hunc lapidem exoſculatus curriculo ad ſodales ſuos abiit, & panem Petri manibus illuſtri victoriâ excuſſum monſtravit.

Poſt biduum letali morbo decumbit Petrus. In quiete viſus eſt ſibi rationem vitæ tranſactæ reddere, inde actiones ſuas omnes pias, impias in librâ componi: pondus ingens malarum, bonarum nihil reperiri, præter unicum panem illum, quem ante biduum licet invitus in caput Chriſti pauperis abjeciſſet. Hîc Æthiopes malorum actionum lancem prægravare, & ad terram detrahere: parte alterâ candidati juvenes lugere, & inter ſe quærere de ſtaterâ in altum erigendâ; nec tamen aliud invenire, quàm unicum panem pauperi cum indignatione projectum. Tandem libripens mitiſſimâ ſententiâ: Abi, ait, & panem hunc auge: alioqui Æthiopes, quos cernis tui adverſarii te in ſuum regnum abripient. Hîc Petrus non è ſomno tantum, ſed è ſceleribus evigilans, & in ſeſe deſcendens, omnémque anteactam vitam relegens: Deus bone, inquit, ſi panis unicus non ſine bile projectus tantum profuit, quantum ſibi cumulabit lucri, qui ſua indigẽtibus ſpontè & humaniter impertiverit?

Ab eo tẽpore adeò liberaliter & plenâ manu dedit, ita ſe totum in pauperes profudit, ut non tantùm non opibus ſuis, nec ſuis veſtibus, ſed nec ſibiipſi pepercerit. Cùm nautam, qui naufragium vix nudus evaſerat, ſupplicem haberet, ſuâ ſe veſte ſpolians veſtivit naufragum. Quo facto vir longè formoſiſſimus in ſomno illi oblatus eſt, qui crucem humeris ferebat, & hunc in modum interrogabat: Num Petre hanc veſtem, quâ indutus ſum, noſti? Ego eram ille naufragus, quem tu hoc indumento tegebas: urebar frigore, ſed tu operiebas me: gratias ago tuæ in me tam pronæ voluntati. Diſpulſo ſomno Petrus in admirationem maximam raptus. Verè beati ſunt, inquit, beatiſſimi, qui egenos, ut poſſunt, juvãt. Si ita res ſeſe habet, ut Chriſtum ipſum reficiat, alat, veſtiat, quicumque reficit, alit, veſtit pauperes: vivit Dominus, non conquieſcam, dum unus ex illis fiam.

Dixit & fecit: Nec enim conquievit, dum in Palæſtinâ venderetur aurifici Chriſtiano: Huic domino ita ſervivit, ut viliſſima quæque domûs miniſteria prõptiſſimè obiret, & interim jejuniis ſe maceraret, nec indignaretur à conſervis fatuus haberi. Nec mirum. Frequens è cælo ſolatium accepit. Nam quotieſcumque acerbiùs & iniquiùs à domeſticis tractabatur, toties ei Chriſtus ſe ſpectandum præbens eâ veſte, quam Petrus naufrago donarat, & verò etiam his vocibus permulcens: Perſevera Petre, nemo gratis me colit: breviſſimus labor, præmium æternum. Perſeveravit Petrus, & in eâ domo, in quâ ſervierat, auditum, & vocem ſurdo impetravit.

O Petre beatus es, quòd tua dederis pauperibus, beatiſſimus, quòd teipſum. Sit aureus orbis terrarum univerſus, & tamen pretium tui venditi non æquaverit. Quàm verè Ambroſius: *Neque enim, ait, quiſque magis beatus, quàm qui intelligit ſuper pauperis neceſſitatem, & infirmi atque inopis ærumnam. In die judicii habebit ſalutem à Domino, quem habebit debitorem.*

*Ambr. to. 5. l. 1. offic. c. 11. pag. 428.*

Vt ergo tantò rectiùs des eleemoſynam; *Da illam ipſe, da dictante ſyllabo, da citò.* Vis rectè ſuadere, vis opem ferre, vis ſeriò benefacere? obſecro te, ſuade citò, bene fac & juva celeriter, ne gratiam morâ corrumpas; alioqui & tu animum dandi, & alter

ter

ter accipiendi perdit. Duplicata ſunt beneficia, quæ maturata.

## CAPVT II.

### *Eleemoſynas humaniter, conſideratè, largiter dandas.*

*Cæſar. l. 4. Illuſt miræc. c. 68. mihi pag. 224.*

CÆSARIVS è Ciſtertienſi familiâ, qui ante annos quandringentos ævi ſui miracula conſcripſit, rem ſibi narratam litteris mandans: Quidam Abbas, inquit, hoſpitalitatis amans, & in pauperes ſupra modum prolixus fuit. Ne autem in his pietatis officiis remoram ſentiret, ſibi ſimiles ſuo cœnobio curatores ambiit. Optimos conatus miro favore Deus proſecutus eſt. Quãtò plures hoſpites recepit, quantóque largiùs egenis benefecit, tantò copioſior cœnobii proventus fuit. Huic Abbas alius ſucceſſit, & cũ eo tenacitas & avaritia. Prioribus igitur curatoribus amoris ſibi ſimiles adſcivit novus Antiſtes, avarus avaros. Et ut res mangonio non careret: Prior Abbas, ajebat, nimiùm fuit dapſilis & effuſus: contrahendæ ſunt manus, & æs parciùs ſerendum, ut ſi agros ſterilitas, pecus peſtilitas, grando ſegetem invadat, habeamus nihilominus, quod promamus. Hoc mantelo Abbas illaudatam parſimoniam velabat. O condum, non Promum! ſed avarus Condus, calamitoſum facit Promum. Poſtquam enim hic lucrio non hoſpites ſolùm, ſed & hoſpitalitatem excluſit, & tributum pauperibus dari ſolitum ſubtraxit, ſimul etiam cœnobii cenſus decrevit. Eò res prolapſæ, ut vix eſſet, quod menſis ex ritu & more inferretur. Inops erat opulentia. Quadam die vir grandævus & canus à janitore hoſpitium magnis precibus rogavit. Hunc janitor clam & timidè admiſit. Cenula prorſus tenuis allata: offula exoculata, caules malè uncti, & quod cenæ caput, præſalſa & durata fumo albula. Super omnia tamen vultus & verba acceſsêre bona. Nam janitor modeſtè pręfatus: Velim, inquit, vir optime, menſam tam tenuem æqui bónique conſulas. Sanè non grandi mazonomo cibos ferimus. Memini olim cùm noſtra domus tam opimis reditibus gauderet, ut vel Pontifices ſaliari cœnâ liceret excipere: jam vix panem & oluſcula exhauſtum penu ſubminiſtrat. Huic cano capite hoſpes: Duos fratres, inquit, monaſterio expuliſtis: & niſi hi revocentur, actum eſt de vobis, è durâ egeſtate numquam ſatis eluctabimini. Illorum fratrum alteri nomen eſt DATE: alter DABITVR VOBIS, appellari ſolet. Et cum dicto ſeſe oculis ſubduxit hoſpes. Janitor non infelicis memoriæ amborum nomina utcumque retinuit, rem Abbati ac ceteris ordine percenſuit. Ab exilio revocatus eſt frater DATE, & unà cum illo rediit germanus exul DABITVR VOBIS. Reſumpta eſt in egenos liberalitas, & res familiaris mirificè augeri cœpit.

Res mira hos fratres ſeparari non poſſe; individuo nexu ſeſe comitantur. Vbi DATE, illic & DABITVR eſt. Ita unam aliquam domum aut uterque occupat, aut neuter. Renuis dare? ergo recuſas accipere: nec tibi dabitur.

*Triplex alius modus in dãdis eleemoſynis.*

Atque hoc eſt, quod hactenus urgemus, & unà jam dandi modos explicamus. Superiori capite præceptionem triplicem ſuggeſſimus: *Da ipſe, da dictante ſyllabo, da citò.* Triplicem aliam hîc ſubjungimus: *Da humaniter, da conſideratè, da largiter.* Singulis præceptionibus majorem lucem dabimus.

### §. I.

*4. Modus: Da humaniter.*

QVartus igitur in dandis eleemoſynis modus eſt: *Da humaniter*, vultu bono, verbis amicis, geſtu non ſuperbo. Verbis contumelioſis omnis gratia corrumpitur. Quàm decorum eſt, cùm viri primarii ſordidum palliolum comiter ac benevolè alloquuntur, nec adducto ſupercilio inopes velut voce indignos rejiciunt. Siracides hîc præceptorem agens: *Fili*, ait, *in bonis ne des querelam, & in omni dato ne des triſtitiam verbi mali.* Cùm eleemoſynam das, cave illam aſperis verbis corrumpas, ne qui accipit, pro gratiarum actione tibi maledicat. Non rarò lenis, placida, & comis oratio donis ipſis eſt potior. Blandè & amicabiliter alloquere, & jam dediſti. Vti ros præteritæ diei calores temperat, ita dolores, quos urens creat paupertas, mitia verba leniunt valdè ac mitigant. Aſperge tuo muneri comitatem, & munus geminum contuliſti. Frons rugoſa, tetricus vultus, verba rigida mœrori ſunt, non ſolatio, & donum quod comitantur, jugulant. Eleemoſyna, pręſertim non magna, verborum ſaccaro & melle condienda eſt, uti ſolent quædam placentæ, ſine hoc condimento minùs placituræ.

*Eccli. c. 18. v. 15.*

*Eleemoſyna aſperis verbis non corrumpenda.*

Eſt qui canem velit allicere, & alterâ quidem manu panem, ſed alterâ fuſtem echinatum porrigit: non alliciet: fugabit. Ita ſunt qui ſtipem dividunt, ſed iis verbis, quæ ſæviùs echino pungunt. *Das panem*, inquit Chryſoſtomus, *& vocas impoſtorem.* Exoſum & miſerum donũ. Suaviùs benefaceres, ſi tua retineres, quàm ſi tam moroſus & humanitatis expers ſis benefactor. Alios mores divinus Paulus nos docens: *Induite vos*, inquit, *ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humanitatem, modeſtiam, patientiam.* Harum virtutum ſanè nullam habet, qui adversùs pauperes tam aſper, & inhumanus eſt. Et cui benignus ille videatur, cui patiens, humilis & modeſtus, qui Lazaros tam inclemẽter dimittit, qui priùs conviciis mordet, quàm nummis donet. Num à modeſto humili ſint illæ voces? Vos errones otio nati, vorando, ludendo, potando veſtra conſumitis: Vos mures omne horreum infeſtatis, omne triticum corroditis: Vos inertes beſtiæ laborem fugitis, & ignavam mendicitatem ultrò ſectamini: quis ventres tam pigros ſatis impleat? Ohe ſatis elogiorum, ſatis eſt. Parciùs iſta, obſecro, Chriſtiani, non hic miſericordiæ ſunt viſcera, ubi verba jactãtur tam inhumana. Iſidorus Peluſiota eos, qui pauperes velut moloſſi allatrant, graviter reprehendens: Eleemoſynam, inquit, à probro & contumeliâ puram atque immunem eſſe oportet. Nam qui ei hæc adjungunt, fragranti unguento cœnum admiſcent, atque accipientium animos percutiunt. Quæ enim cum probro porriguntur, etiamſi maxima ſint, accipientibus minimè jucunda ſunt, tametſi alioqui neceſſitate conſtricti cõtumelias tacitè ferant. Cùm autem etiam perexigua ſunt, atque cum contumeliâ præbentur, intolerandam quamdam egentium animis tempeſtatem pariunt. Quocirca pauperibus leniter & placidè reſpondere oportet. Melior eſt ſermo quàm donum.

*Coloſſ. c. 3. v. 12.*

*Qui adverſus pauperes aſper eſt, inhumanus eſt;*

*Iſidor. l. 2. epiſt. 214.*

*Et quæ cum probro porriguntur etſi maxima, tamen accipiẽtibus injucunda ſunt.*

Mendici, ut ſcias, non minùs homines ſunt, quàm tu: ergo iis te quoque hominem oſtende, & ſimul memineris etiam te mendicum eſſe. Appoſitè Guilielmus Lincolnienſis: *Dic mihi, quæſo, ô dives*, ait, *quare pauper tecum non accipiet cibum, qui tecum accepturus eſt regnum? quare non accipiet veterem tunicam, qui tecum accepturus eſt immortalitatis ſtolam? quare pauper non meretur accipere panem tuum, qui tecum meruit accipere baptiſmi Sacramentum? Cur indignus ſit accipere reliquias ciborum, qui tecum venturus eſt ad convivium Angelorum?* Ergo mendicus mendico, ſed regni ſocio amicè ac humaniter reſponde.

*Guil. Lincoln. in expoſit. Evang. part. 3. c. 28. & 35.*

Quis verò noſtrûm à Deo unquam, cùm mendicamus, & ſupplices ei libellos porrigimus, reſponderi ſibi audiit; Recede impoſtor: non venires ad me, niſi neceſſitas te premeret: in templo tantùm tibi charus ſum; cùm extra templum es, aliis ſed furtivis amoribus dele-

delectaris. Ergo abi, nec redi. Hæc audire digniſſimi ſumus, ſed mitiùs agit nobiſcum Dominus Deus. Æquiſſimum igitur eſt, ut nos ſervi cum conſervis non rigidè agamus.

*Quantò melius eſt*, inquit Seneca, *adjicere bona verba rebus bonis, & prædicatione humanâ, benignáque commendare, quæ præſtes? Dic: ſi quid deerit, libenter ſubminiſtrabo; nec opus tot preces aut deprecatores admovere, ut expugner; quidquid in me conſilii & opis, pro viribus juvabo. Qui tam paratè facit, non eſt dubium, quin libenter faciat.* Itaque lætus opitulatur, & induit ſibi animi ſui vultum. Ita qui accipit, majoris æſtimabit dantis animum, quàm donum: dicet, non reperire ſe, quî ſatis gratias agat. Quorumdam grandia beneficia loquendi aſperitas, gravitatem & triſtitiam imitata corrumpit, cùm precibus annuunt vultu negantium. Martialis hos tales ſalsè tangit:

*Diligo præſtantem, non odi Cinna negantem,*
*Sed tu nec præſtas, nec citò Cinna negas.*

Homines autem moroſi & faſtuoſi, plerumque etiam contumelioſi ſunt, qui aut non reſpondent, cùm rogãtur, aut reſpondent acerbè. Ita plurimi manus utcumque munificas, ſed os habent amarulentum, quod deſtruunt, quidquid manibus ſtruxerunt. Tu igitur ſi panem velis porrigere, clavam echinatam abjice: Da ſtipem, ſed vultu & verbis bonis, Da humaniter.

## §. II.

5. Modus: Da conſideratè.

QVintus dandi modus: *Da conſideratè.* Pauperes quidem curioſiùs ſcrutandi non ſunt, ut dicemus; nihilominus conſiderandum, ubi rectiùs ponatur beneficium, quo loco major urgeat neceſſitas. Inconſulta & planè cæca donatio laudari non poteſt. Sit ergo delectus aliquis hunc in modum.

Quibus primò ſubveniẽdum.

Primò ſenibus, ægrotis, ſtudioſis, adoleſcentibus egenis dandum præ ceteris. Igitur ætatis aliqua ratio haberi poteſt, ita ut ceteris præferantur ſenes, qui licet laborem non fugiant, victum tamen difficiliùs parant. Interrogatus Diogenes: Quid in vitâ miſerrimum videretur? Dixit, ſenex egenus: hic enim bis ægrotus eſt, & ſenectutis morbo & mendicitatis pertuſo ſacco.

Quibus ſecundò.

Deinde non negligendi ſunt, qui cum alienâ indigeant miſericordiâ, pudore ingenuo deterrentur à quærendo, verecundi pauperes, quibus fame potior eſt pudor. Qui autem egens & æger eſt, duplici laborat paupertate. Heu quoties in urbibus familia eſt, in quâ maritus æger decumbit, ſex, ſeptémve liberi panem abſumere nati. Vxor re familiari occupatiſſima, cùm marito ægro, tum culinæ & foco adſidet. En nemo eſt in familiâ, qui victum poſſit lucrifacere; nec panis eſt, nec quod molant, habent, nec quod pinſant. Hîc operæpretium eſt, benefacere.

Quibus tertiò.

Tertiò qui ceteris anteferendi, ſunt adoleſcentes honeſti, ſed inopes, qui ſtudent litteris. Sunt quidem pauperum domus, ſunt pecuniæ collatitiæ, ſunt ſportulæ, ſunt ditiorum culinarum reliquiæ, nihilominus ſunt ſtudioſorum adoleſcentum plurimi, quibus nec mucidus panis eſt; ad diſcendum ingenii multum habent, æris nihil. Hi magni olim viri fierent & Reipublicæ perquam utiles, ſed dira eos paupertas abſtrahit à Parnaſſo. Hos priſci picturâ ſic exprimebant. Iuvenem ſtatuebant, qui alteram quidem manum habebat alatam, quâ cælum peteret, ſed altera gravi ſaxo impedita trahebat ad terram. Hi ſanè præ omnibus alendi. Stupores alii & fungi, quibus ingenium durum, indocile, obtuſum, ad ſtivam, ad ſutrinam aut textrinam, ad militiam ablegentur; in ſcholis ad ſpem magnam educandi ſunt, quos indoles & ingenium commendant.

Sed objicias primò: Hi pueri cùm eis rectè eſt, aut inſoleſcunt, aut aufugiunt. Reſpondemus, eleemoſynam non ideo malè collocatam aut perditam. Quot A tirones in officinis, in tonſtrinis, in religioſis familiis diſcunt, & aut malè ſe gerunt, aut ad diſcendi finem non pertingunt. Eleemoſynæ nihil officit, malo animo accipi, ſed malo dari.

Objicias ſecundò: Litterarum ſtudium ad finem perducere res maximi ſumptûs eſt, quem plerique omnes fugimus. Obduco: Exiguus planè ſumptus eſt, quo primis annis adoleſcens aliquis inter Muſas alitur: nam ubi ad claſſes altiores evaſerit, induſtriâ ſuâ ſeipſum juvabit. Quot ipſi novimus viros primarios, Archigrammateos, Medicos, Iuriſprudentiæ, Theologiæ Doctores, Proëpiſcopos, qui domos cantu ſalutabant, ut nummulum aut panis fruſtillum acciperent: eruditio eos in altum extulit. Sunt quidem hi ſubinde parum grati in eos, in quos maximè oporteret. Nihil refert. Hæc talia largitiones noſtras nequaquam terreant: eleemoſynæ promeritis nihil decedit.

B Objicias tertiò: Ego templis do. Non reprehendimus. Sed templa viva potiùs ac priùs curanda ſunt, quàm ea, quibus nihil eſt vitæ. Sunt qui ſacerdotia augeant, cœnobia condant, templa aut ſacella erigant, parentes aut cognatos ſummè pauperes deſtituant. O munificentiam magnam, ſed malè ordinatam! Aureæ linguæ orator, quid hac in re ſentiat, apertiſſimâ facundiâ in medium ponens: *Ecce enim*, inquit, *qui martyria ædificant, Eccleſias ornant, bonum opus facere videntur; ſed ſi quidem & aliàs juſtitiam Dei cuſtodiant, ſi de bonis eorum pauperes gaudent, ſi aliorum bona per violentiam non faciunt ſua: ſcito, quia ad gloriam Dei ædificant. Si autem aliàs juſtitiam non ſervant, ſi de bonis eorum pauperes numquam gaudent: ſi aliorum bona faciunt ſua, aut per violentiam, aut per fraudem: quis tam inſenſatus eſt, ut non intelligat, quia non ad gloriam Dei faciunt ædificia illa, ſed propter æſtimationem humanam? & juſtè ædificant martyria, ut pauperes violentiam paſſi ab eis interpellent contra eos. Non enim gaudent martyres, quando ex illis pecuniis honorantur, pro quibus pauperes plorant.* C *Qualis eſt virtus illa juſtitiæ, munerare mortuos, & expoliare vivos? de ſanguine miſerorum tollere, & Deo offerre? Illud non eſt Deo offerre, ſed velle violentiæ ſuæ ſocium facere Deum: ut cùm ſi oblatam ſibi pecuniam de peccato libenter acceperit, conſentiat in peccato. Vis domum Dei ædificare? da fidelibus pauperibus, unde vivant; & ædificaſti rationabilem domum Dei. In ædificiis enim homines habitant. Deus autem in hominibus ſanctis. Quales ergo illi ſunt, qui homines expoliant, & ædificia martyrum faciunt? habitationes hominum componunt, & habitationem Dei deſtirpant? Iam ergo ex antiquis temporibus morbus iſte in hominibus habebatur. Dicebant enim apud ſe: Si bene fecerimus pauperibus, quis illud videt, & ſi viderint, non multi vident; & ſi multi viderint, pro tempore vident. Tranſit enim tempus, & tranſit cum tempore benefacti memoria: Nónne ergo meliùs ædificia facimus, quæ omnes aſpiciunt, non ſolùm hoc tempore, ſed etiam in poſterum? Nam quamdiu ædificium permanet, tamdiu ædificantis memoria nominatur. O inſipiens homo! quid tibi* D *prodeſt poſt mortem iſta memoria, ſi ubi es, torqueris, & ubi non es, laudaris?*

Chryſ. to. 2. in c. 23. Matt. hom. 45. mihi pag. 927. & ſeq.

Munditiеs templis potiſsimũ debetur.

Primum ac potiſſimum, quod templis debetur, eſt mundities. Non tantùm adſint, quæ in uſus ſacros neceſſaria, ſed etiam quantùm fieri poteſt, mundiſſima ſint. Viderint illi, qui ſacras ædes ſqualore ac ſitu obduci, omnia in eis peſſum ire ſuaviter cernunt; nec ruinoſa reſtaurant, nec collapſa erigunt, imò domeſticis uſibus profanant; qui legumina, rapas, lac, olera, ſacellis velut penori cuſtodienda tradunt. Hîc cum Chriſto vociferandum: *Feciſtis domum patris mei ſpeluncam*, ſi nõ latronum, certè aranearum, veſpertilionum, noctuarum. Sunt etiam, qui domos habent inſtructiſſimas ac ornatiſſimas, in eorum templis aut ſacellis ſqualent omnia & ſordent, aræ à frontalibus nudæ vix laceris ac ſordidis pannis inſternuntur, in ceteris omnibus confuſio & ſqualor. His divini honoris contemptoribus

Matt. c. 21. v. 31. Marci c. 11. v. 17. Luc c. 19. v. 46.

ptoribus flagellum Chriſti proximum eſt. Et certè totas familias malè periiſſe vidimus, quæ ſacras ædes tutelæ ſuæ commiſſas negligi, ruere, ac collabi non vetuerunt.

Da igitur, quod debes ædibus ſacris, quæ ad ſacros uſus neceſſaria ſunt, aſſigna, munditiem eis præſta; & cave domibus ſacris ſpatium vel minimum, cave quidquam redituum, aut donaria ulla ſubtrahas.

Annuas æternas in templis exequias tibi defuncto conſtituere vix hoc ævo cenſuerim expedire, idque certas ob cauſſas. Quadringentos aut quingentos, aut etiam ſexcentos florenos huic rei deſtinatos, dum vivis, in adoleſcentes ſtudioſos eroga, & inde tibi majus promeritum accedet, quàm ſi ſingulis annis inferiæ curſim peragantur. Alia hîc virorum principum eſt ratio. Igitur hîc templa ſaxea ſic inſtrue & orna, ut templum Dei vivum non neſcias primo loco curandum. Adoleſcentes ſtudioſos pauperes omnibus quàm impenſiſſimè commendo.

§. III.

6. Modus: Da largiter.

SExtus erogandi modus, *Da largiter:* immerge marſupio manum, non ſolam rade ſuperficiem. Sunt, qui valde dapſiles ſe credant, cùm verminoſas carnes, aut vinum fugiens & vappam, aut poma putrida, aut corroſas tineis veſtes mendiculis projecerint. O grandem munificentiam, pauperibus donare, quæ in fimetum forent excutienda. Nemo dixerit: Satis habeant; hoc contenti ſunto pauperes; Iſtud haud eos dedecet. Scilicet eſt condignum donum, qualis eſt cui dono datum eſt. *Plautus.*

Apage voces improbas. Quod pauperi das, Chriſto das. An Chriſtum exoleſcente vino, fœtentibus carnibus vis reficere? Illud autem ſingulariter attendendum tam in profanis quàm religioſis domibus: Cùm ciborum reliquiæ pauperibus dantur, ne quæſo tam immunda ſit congeries, ut offa canibus obſipari videatur. Hîc ſæpe turpis famulorum, & ancillarum ſocordia eſt, quæ dum impatienter properat, carnes, olera, pultes in chaos ſordidiſſimum confundit. Sed & patris aut matrisfamilias culpa hîc miſcetur, quibus curæ non eſt, quid pauperibus aut quomodo detur. Non intelligunt ſuper egenum & pauperem. His illud ingerendum. Quod facis, fac bene. Dandis ciborum reliquiis multum dabis, ſi ſine ſordibus dederis, ſi te non canibus ſed Chriſti pauperibus dare reputaveris. Quis ciborum omnium confuſionem non horreat? Immundiſſimum eleemoſynæ genus, eſt, aſſa & lixa, ſicca & liquida, dulcia & acida, olera & pulmenta in ollam unicam conjicere. Diſtingue diſtinguenda, & turbæ pauperum bene coxeris. Miſericordia ſordes non amat.

*Luc. c. 6. v. 36.* *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Non ſicut Abrahamus, Tobias, Iobus miſericordes fuerunt, etſi fuerint miſericordiſſimi; ſed ſicut pater veſter. Hujus imitamini liberalitatem. Dandum eſt; non ſicut olim libabatur Soli vinum, hoc eſt, parciſſimè; non ſicuti thus extremis digitis in acerram conjicitur, non ſicut ægroto juſculum modico ſale ſpargitur. His eleemoſynæ ſacris non cochleariolum aromaticum, non cochleare offarium aut pulmentarium, non ligula, ſed cochlear fullonum, quo pannos perpluunt, eſt adhibendum; totâ manu dandum, liberaliſſimè, quantum fieri poteſt, hîc erogandum. Da igitur ambabus manibus, largire pleno modio, & ipſo horreo admetire, non minutim, non parcè, ſed ampliter, copioſè ac prolixè, miniméque malignè; Promúmque magis quàm Condum te præſta.

*Tob. c. 1. v. 19. & 20.* *Tobias* in captivitate poſitus *quotidie pergebat per omnem cognationem ſuam, & conſolabatur eos, dividebátque unicuique prout poterat de facultatibus ſuis. Eſurientes alebat, nudiſque veſtimenta præbebat, & mortuis atque occiſis ſepulturam ſollicitus exhibebat.* En omnibus omnia factus, oculus cæco, pes claudo, operimentum nudo, pater pauperum, plenâ totâque manu dedit.

Germanus Antiſiodorenſis Antiſtes in itinere ſtipem à mendiculis rogatus, à Diacono ſuo quæſivit, quantum ſupereſſet viatici? Tres aurei, reſpondit. Hos ipſos omnes, ait Germanus, da petentibus mendicis. Cui Diaconus: Si demus, inquit, quid nobis in viaticum reſtabit? Huic denuo præſul: Deo, inquit, non deerit, unde ſuos nutriat: tu quod habes, pauperibus ne ſubtrahe. Ergo Diaconus ne cuiquam minùs providus videri poſſet, duos dedit aureos, retento tertio. Non diu poſt equites inſequuntur hos viatores, à Leporio viro ditiſſimo miſſi, ut Germano Epiſcopo ducentos aureos offerrent, quos & obtulerunt, & unà ſuum dominum venerando Præſuli commendarunt. Hîc Germanus ad Diaconum verſus: Quidquid hoc muneris eſt, inquit, accipe, vos verò Leporio amplas agite gratias: curabimus, ne malè collocârit beneficium. Dimiſſis equitibus, fronte ſeriâ diaconum compellans: Scito, ait, quòd & pauperes deceperis, & nobis centenos aureos ademeris. Nam ſi mendicis, prout juſſeram, tres aureos dediſſes, liberaliſſimus remunerator Deus nunc miſiſſet aureos trecentos. Hanc muneris diminutionem, fatuæ providentiæ habemus præmium.

Anno milleſimo cẽteſimo nonageſimo ſeptimo, quo dira fames plurimos extinxit, religioſa domus Heiſterbachii, novella licet & exigui cenſûs, non ideo tamen anguſtioris liberalitatis in pauperes fuit. Tantus autem accurſus pauperum erat ut eorum vel uno die mille quingenti ad portam numerarentur. Gebhardus eò loci tunc Abbas ſingulis diebus bovem unum lixari, quem præter panes & olera in egenos tribui juſſit: ita pauperibus uſque ad novas ſpicas utcumque ſatisfactum. Verebatur autem optimus pater, ne annona pauperum deficeret ante meſſem, & ideo piſtorem vocans panes nimis magnos ajebat coqui, moderatione hîc opus eſſe, quò pluribus & diutiùs ſuppetat, quod detur. Hîc piſtor Conradus Roth: Venerande Pater, inquit, mihi crede, cùm maſſam ſubigo, & panes formo, admodum parvi ſunt, in furno incrementum accipiunt admirandum: affirmare auſim nanos immitti & parvulos panes, extrahi gigantes. Sed & illud hîc obſervabile, inquit, farinam in ipſis farinariis creſcere, ut piſtores omnes, ſed & pauperes mirentur, dicantque: Vnde, obſecro, hic omnis tam copioſus commeatus? Eodem anno vir opulentus Andreas Spirenſis, qui in aulâ Friderici Cæſaris pecuniam maximam congeſſit, nobile prædium ab omni vectigali ac tributo vacuum & immune emit, & illi ipſi cœnobio in pauperes tam prolixo ſponte ſuâ donavit. Ita panes, olera, boves, & quidquid in egenos diſtributum, grandi fœnore, reſtitutum eſt. *Cæſar. l. 4. mirac. c. 66. In Coloniensi agro.*

Promiſſa Chriſti non fallunt: *Date, & dabitur vobis,* date liberaliter, & liberaliter reddetur vobis; date liberaliſſimè, & id omne pariter liberaliſſimè vobis reſtituetur. Eâdem quippe menſurâ, quâ metimur, remetietur nobis. *Qui facit miſericordiam,* inquit Chryſologus, *currit ad præmium: qui non facit miſericordiam, decurrit ad pœnam.* *Luc. c. 6. v. 38.* *Petr. Chryſol. hom. [illegible]*

## CAPVT III.

### *Eleemoſynas hilariter, modeſtè, deſtinato numero dandas.*

ADMIRATIONE digniſſimum eſt, quod Salomon in templum à ſe conditum theſauros incredibiles inſumpſerit, ligna pretioſiſſima pro eo delegerit;

legerit; ferri, argenti, auri, gemmarum vim obſtupeſcendam in illud congeſſerit, oraculum, ſeu ſancta ſanctorum auro puriſſimo totum veſtierit; nihilominus hanc auream ædem gemino, ſed vili oſtiolo clauſerit. Ita loquuntur Regum faſti: *In ingreſſu oraculi fecit oſtiola de lignis olivarum.* Quid in Iudæâ communius aut vilius olivis? Quis noſtro ævo non miretur, palatii nobiliſſimi principem portam eſſe pineam, aut abiegnam? ſic oliva Hieroſolymis arbor plebeja & vulgaris. Cur non è cupreſſo, aut ebeno, aut cedro, aut therebintho fabrefactæ portæ? Cur delatus hic honor olivæ? Ita placuit architecto ſupremo Spiritui ſancto. *Oliva ubique gentium, Miſericordiæ ſymbolum notiſſimum, ob lenitatem,* inquit Baſilius, *ob ſuavitatem & pinguedinem.* Ille igitur in ſancta ſanctorum, in æternæ felicitatis domum hinc pervenire poterit, qui per oſtiolum oleaginum quærit ingreſſum, qui commodare diſcit & miſereri.

*3. Reg. c. 6. v. 31.* — *Baſil. de rerum abdicatione.* — Oliva eſt ſymbolũ miſericordiæ.

Sed enim Salomon, quod ſacer hiſtoricus teſtatur, in oſtiis duobus oleaginis *ſculpſit picturam Cherubim, & ſpecies palmarum.* Cherubim ſcientiæ plenitudo. Palma victoriæ ſignificatio. Non danda ſolùm eleemoſyna, ſed modus dandæ pernoſcendus eſt: *Beatus qui intelligit ſuper egenum.* De his largiendi modis loqui cœpimus: ſex ſuprà jam aſſignavimus. *Da ipſe eleemoſynam, Da dictante ſyllabo, Da citò, Da humaniter, Da conſideratè, Da liberaliter.* Tres alios illis hîc adjungimus: *Da hilariter, Da humiliter, Certam pecuniæ ſummam aſſigna.* Hos dandi modos hoc capite trademus expliciatiùs.

*3. Reg. c. 6. v. 32.* — *Pſal. 40. v. 2.* — Tres alii largiendi modi.

§. I.

7. Modus: Da hilariter.

Ergo ſeptimus ſacræ liberalitatis modus eſt, *Da hilariter.* Hic tertio non multum diſsimilis, ſed eſt quo illum ſuperet, eique aliquid addat. Eleemoſynam hilariter dandam tam in priſcâ quàm in novâ lege ſingulariter ac frequenter Deus commendat. C Hinc Siracides divino juſſu præcipiens: *Da,* inquit, *Altiſſimo ſecundum datum ejus, & in bono oculo adinventionem facito manuũ tuarum. In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Ne quæſo frontem contrahe, ne ſupercilium altiùs attolle, cùm dandum eſt, alioquin non marſupii, ſeu animi particulam dare cenſeberis. Cur autem in eleemoſynis dandis triſtior ac ſeverior vultus adeò diſplicet? Quid homo vultuoſus demit muneri? Plurimum. Fit nonnunquam, ut mercator amicorum ſuorum optimo merces pretio viliſsimo non tam vendat, quàm donet. At emptor vultum caperat perinde ac ſi nimis grande pretium exigeretur. Hoc acerbè ferens mercator: Amice mi, ait, quid hoc? ſi putes rèm æquo cariùs indicari, tu tuam pecuniam, ego merces meas retinebo. Putabam equidem tibi me multum gratiæ præſtare. Abi, licet, ad mercatores alios, & iſtud meliùs intelliges.

*Eccli. c. 35. v. 11. & 12.*

D Solutionem iſte ſperabat expeditiorem. Ita Deus gratiam nobis concedit eámque maximam, cùm à nobis recipit eleemoſynam: quàm igitur turpe eſt, illam tam ſeverâ triſtitiâ excipi? Paulus vociferatur & monet: *Hilarem datorem diligit Deus. Vnuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitiâ aut neceſſitate.*

*2. Cor. c. 9. v. 7.*

Optimè dixit Auguſtinus: *Si panem dederis triſtis, & panem & meritum perdidiſti.* Ejuſdem omnino ſensûs & animi Chryſoſtomus: *Eleemoſyna autem eſt,* inquit, *quando cum hilaritate, quando non putas te dare ſed accipere, quando quaſi beneficio afficiaris, quando quaſi lucrum faciens & non perdens, alioqui neque gratia eſt: nam eum, qui miſeretur alteri, gaudere & non ſuccenſere oportet: quomodo enim non abſurdum, ſi alteriùs ſolvens triſtitiam, ipſe contriſteris? non enim illam jam eleemoſynam eſſe ſinis. Si enim triſtis es, quia alium triſtitiâ liberaſti, extremæ crudelitatis & inhumanitatis indicium affers: ſatius enim fuerit non liberare, quàm* A *ſic liberare. Quid autem triſtis es homo? Ne minus tibi ſit auri? omnino ſi hanc voluntatem habes, ne des; ſi non cõfidis, quòd multiplicetur in cælis, ne præſtes. Sed hîc quæris retributionem? Propter quid? Sine eleemoſynam eleemoſynam eſſe, & non fac negotiationem. Sanè multi & hîc acceperunt, ſed non ſic acceperunt, quaſi hac ratione ii, qui hîc non acceperunt, plus habituri eſſet. Quin potiùs nõnulli ex illis, ut imbecilliores, quia futuris bonis haud admodum alliciebãtur, hîc receperunt.* Hæc à ſe dicta Chryſoſtomus confirmans: *Oportet enim,* inquit, *alteri miſericordiam impendentem gaudere, non indignari.* Si alacriter demus, geminata erit eleemoſyna, & quia damus, & quia hilariter damus. Hilaritatem, & liberalitatem conjungens Paulus: *Qui præſtet,* inquit, *in ſollicitudine, qui miſeretur in hilaritate.* In bono oculo adinventionem facito manuum tuarum. Innocuos, non venenatos geras oculos. Faſcinatores ab oculis jaculantur venenum, præcipuè in parvulos, quibus cibi potúſque faſtidium infundunt, hinc miſelli uber averſantur, la- B ctari nolunt, ſenſim extabeſcunt; ita fame ac ſiti necãtur. Bonus oculus letúſque parvulos, hoc eſt, pauperes fame non perimit, imò erigit ac ſolatur placidis ſaltem verbis, ſereno minimùm vultu. *Iucundus homo qui miſeretur & commodat.* Hieronymus Fracaſtorius Veronenſis eruditæ famæ medicus: Lippitudinis genus eſt, inquit, quo qui laborat, omnes ſolet inficere, qui ipſum aſpiciunt. Fœda lippitudo & noxiæ contagionis eſt, cùm manus quidẽ munifica, ſed oculus triſtis & acerbus eſt. Hac lippitudine ſpectatores omnes inficiuntur: Videte, ajunt, quàm invitè & moroſè det. Fabius Verrucoſus beneficium ab homine duro aſperè datum, pãnem lapidoſum † non inſcitè appellabat, quem eſurienti accipere neceſſarium ſit, eſſe acerbum. Da ergo eleemoſynas hilariter; *Hilarem datorem diligit Deus.*

*Aug. tom. 8. in pſal. 42. pag. 158.* — *Chryſ. to. 4. ho. 16. in 2. Corin. c. 7. mihi pag. 724. Et hæc repetit tom. 5. hom 36. ad pop. mihi pag. 231.* — *Rom. c. 12. v. 8.* — *Pſal. 111. v. 5.* — *Fracaſt. l. 1. de Contagione c. 5. mihi pag. 159.* — *Sen. l. 2. de benef. c. 7.* — † *Quiſi ſciscet in lapidem duratus.* — *2. Cor. c. 9. v. 7.*

§. II.

8. Modus: Da ſubmiſsè ſeu humiliter.

Octavus dandi modus eſt, *Da ſubmiſſè ſeu humiliter.* Hîc expreſſiſſimum Domini præceptum nos ſtringit: Ita Chriſtus Matthæi ore: *Cùm facis eleemoſynam,* inquit, *noli tubâ canere ante te. Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua, ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito; & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Adeò fugiendi ſunt ſpectatores, ut ſi vel læva manus habeat oculos, iis eleemoſynæ ſint ſubducendæ. Id quidem in omni virtutis actione neceſſarium, præcipuè verò in ſacris largitionibus, quibus inanis gloria, veluti roſis ſpina ſemper eſt proxima. Qui autem vanam quærit gloriam, non pauperi, ſed ſibi ipſi dedit eleemoſynam, aut eam certè vendidit. Hinc Eccleſiaſticus ſapientiſſimè præmonens: *Conclude,* inquit, *eleemoſynam in ſinu pauperis.* Nemo videat, nemo ſciat: ſed eam velut furtim inſinua: theſaurum abdis, ne ſpectatores advoca.

*Matt. c. 6. v. 2. 3. & 4.* — In omni virtutis actione, præcipuè tamen in eleemoſynis fugiẽdi ſũt ſpectatores. — *Eccli. c. 29. v. 15.*

D Cur obſecro, Hebræus ſapiens ita tegi vult eleemoſynas & abſcondi? jure merito, nam illæ ſupremi judicii die coram humanâ gente non publicabuntur tantùm, ſed & laudabuntur, & pæne ſolæ.

Chriſtus Hieroſolymis ad Gazophylacium ſedens, & velut comœdiam ſpectans, ſilentio aſpiciebat, quomodo turba pecunias Gazophilacio immitteret: *Et multi,* ait Marcus, *jactabant multa. Cùm veniſſet autem una vidua pauper, miſit duo minuta, quod eſt quadrans.* Hîc, Chriſtus diſcipulos velut ad concionem colligens, ſuper eâ re diſſerere cœpit. Ecquis dixerit placuiſſe Chriſto ſonoram illam æris jactationem? Nec ipſis hoc idololatris ignarum fuit, eleemoſynas non cùm plauſu ſpargendas, adeò reverâ Dominicum præceptum rationi eſt congruum. Apertiſsimè Seneca: *Nihil æquè,* ait, *in beneficio dando vitandum eſt, quàm ſuperbia. Quid opus arrogantiâ vultus? quid tumore verborum? ipſa res te extollit. Detrahenda eſt inanis* jacta-

*Marc. c. 12. v. 41. & 42.* — *Senec. l. 2. de benef. c. 11.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*jactatio: res loquentur, nobis tacentibus. Non tantùm ingratum, ſed etiam inviſum eſt beneficium ſuperbè datum.*

*Plutarch. to. 1. moral. de adulatoris & amici diſcrimine. mihi pag. 166. Senec. l. 2. de benef. c. 10.*

Diſputat Plutarchus, quonam modo adulator ab amicis internoſcendus. In eâ diſputatione mentionem injicit Arceſilai viri modeſtiſſimi. Hic ægrotantis Apellis Chii paupertate cognitâ, reviſit ad eum, & unà ſecum viginti drachmas attulit. Cúmque jam officii cauſſa ægroto aſſideret: Hic quidem ajebat, nihil eſt præterquam Empedoclis elementa.

*Ignis, aqua & tellus, atque ætheris ambitus almi.*

Et tu etiam, mi Apelles, incommodè cubas. Patere tantiſper dum cervical erigo: ſimúlque movens pulvinar, clam pecuniam ſubjecit, vt homo verecundus, quod deſiderabat, potiùs inveniret quàm acciperet. Cùm autem anus, quæ ægroto miniſtrabat, ſacculum reperiſſet, nec ſine admiratione oſtendiſſet; Apelles ſubridens: Hoc, inquit, Acerſilai furtum eſt. O furtum bonum & Chriſtianum. Hoc furti genere Mirenſis Præſul Nicolaus cælo terráque celebrem ſe reddidit, poſtquam ejuſcemodi furto triplici, nummis in ædes clam injectis trium virginum pudicitiam ſervavit.

*Iſidor. l. 2. epiſt. 151.*

Iſidorus Peluſiota Nicolai Pontificis Chriſtianum æmulatorem laudans, Eleemoſynam, inquit, ſingulari amore complectebatur, id tamen ſtudioſè captabat, ut obſcura & incognita eſſet ea benignitas, quòd exploratum haberet eleemoſynam in hoc maximè ſitam eſſe. Idcirco clarus ille vir non modò largiendo, ſed etiam occultè id faciendo, eos, qui in fornace paupertatis verſabantur, velut rore quodam perfuſos recreabat.

*Chryſ. ho. 3. in epiſt. ad Rom. & ho. 13. in 1. ep. ad Cor.*

Chryſoſtomus vanam gloriam eleemoſynis inimiciſſimam exagitans: *Non ſufficit eleemoſynam dediſſe*, inquit, *ad hoc ut accepta ſit: quando enim ex neceſſitate quis & coactè, quando ex injuſtitiâ, quando ex vanæ gloriæ ſtudio eleemoſynam tribuit, fructus omnis perit. Inanis gloria in omnibus rebus fugienda, tum potiſſimùm in eleemoſynâ, quandoquidem nec eleemoſynæ nomen obtinere queat, ſi hoc morbo laboret.*

Gregorius Nazianzenus patrem ſuum non immeritò laudat, quòd totas largitionis habenas matri conceſſerit, eam potiſſimùm ob cauſſam, ne laus ad ſe redundaret.

*Cur Chriſtus actiones bonas lucere corã hominibus velit, eas tamen abſcondi & tegi jubeat.*

Sed illud hìc nonnihil quæſtionis habet, quâ ratione Chriſtus actiones bonas lucere coram hominibus velit, eas nihilominus abſcondi jubeat, & tegi? Reſponſo breviſſimo rem enucleamus. Diverſiſſima ſunt, *videri, & velle videri.* Primum quandoque neceſſarium, alterum ſemper flagitioſum. Eſt cui muneri, quod templo dat, ſuum nomen apponat & inſignia, ut alios ad idem faciendum prouocet, aut certè ut alio fine honeſto potiatur. Bona mens, ſive, recta Intentio factum ex ſe non malum optimè tuetur. Qui verò ſua omnia dona ſuo nomine inſignit, non tam divinum à ſe honorem, quàm ſuum quæri utcunque prodit. De talibus pſaltes Hebræus *Vocaverunt*, inquit, *nomina ſua in terris ſuis*. Cælo inſcribendum eſt nomen, ubi deleri nequeat, non terræ.

*Pſal. 48. v. 12.*

*Petr. Chryſol. hom. 9. mihi pag. 29. & ſeq.*

Hæc Petrus Chryſologus oratione diſſertiſſimâ complexus: *Quomodo*, inquit, *juſtitiam vult celari, cujus opera ſic cupit elucere? Fratres, hic præceptio cæleſtis vult jactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, ſubmovere inanem gloriam. Iuſtitia, quæ per ſe ſibi abundat ad gloriam, ſpectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriam non requirit: à Deo genita cælum ſpectat, in oculis agit divinis, ſupernis virtutibus mixta, ſemper à Deo ſolo, ut glorificetur, expectat.* Hîc iterum Annæum ingero: *Præcipiunt*, inquit, *omnes auctores ſapientiæ, quædam beneficia palàm danda, quædam ſecretò. Palam, quæ conſequi glorioſum eſt, ut militaria dona, honores, & quidquid aliud notitiâ pulchrius ſit. Rurſus quæ non producunt, nec honeſtiorem faciunt, ſed occurrunt infirmitati, egeſtati, ignominiæ; ac ita danda ſunt, ut nota ſint ſolis; quibus proſunt. Interdum & ipſe, qui juvatur, fallendus eſt, ut habeat, nec à quo acceperit, ſciat.*

*Senec. l. 2. de benef. c. 9.*

*Matt. 6. v. 1.*

*Ergo attendite, hoc eſt, ne geſtiatis attendi. Ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. Quare? ne videamini ab eis. Etſi viſi fuerimus, quid tum? Mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum. Iuſtitia, quæ ſe humanis oculis locat, divini Patris non poteſt expectare mercedem: voluit videri & viſa eſt: voluit hominibus placere & placuit, habet mercedem, quam voluit; præmium, quod habere noluit, non habebit.*

*Matt. 6. v. 2.*

*Ergò, cùm facis eleemoſynam, noli tubâ canere ante te. Bene ait, tubâ, quia talis eleemoſyna hoſtilis eſt, non ciuilis, non miſericordiæ dedita, ſed clamori: oſtentationis nundinatio eſt, non commercium charitatis. Eleemoſynam quiſquis oſtentat, inſultat; Sicut hypocritæ faciunt in ſynagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* (*Ibidem.*) *Audiſtis quemadmodum notat eleemoſynam in conventu, in plateis, in triviis, non impenſam ad pauperum levamen, ſed propoſitam ad hominum favorem. Sed dicit aliquis: Ergo in conventu, in plateis, in triviis neganda eſt miſericordia? non præbendus eſt victus? Planè in omni loco, & in omni tempore facienda eſt miſericordia, præbendus eſt victus, nuditas eſt tegenda: ſed ſic, quo modo docuit miſericordiæ auctor, ut miſericordia non terræ ſit nota, ſed cælo, non hominibus inſinuata, ſed Deo. In plateis, in triviis ſuum pietas habet ſecretum. Vnde homo ſi in paupere Deo feneras, teſtes homines ne requiras: fides arbitros non poſcit. Daturus Deo da ſecretò, ut quod dederis, non ſit oneris, ſed honoris.* Ergo quod multopere inculcandum, *Da humiliter.*

*Eleemoſyna in omni loco danda, ſed ſecretò.*

## §. III.

*9. Modus. Certam pecuniæ ſummam aſſigna. 1. Cor. 16. v. 1. & 2.*

Nonus eſt ſtipis diſtribuendæ modus, *Certam pecuniæ ſummam aſſigna.* Ejus rei Paulus commonefaciens: *De collectis autem*, inquit, *quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita, & vos facite. Per unam ſabbati unuſquiſque veſtrûm apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit.*

Hîc princeps nobis qnæſtio agitãda. Quæſo te, Lector, aures vacivas & attentum præbe animum. Sunt è Chriſtianis innumeri, qui prompti parati ſint eleemoſynam dare, immenſum illius fenus non ignorant, illam à Domino præceptam non neſciunt, ideo pro ſe quiſque ac ſinguli quærunt: Quantum dabo? nollent ut tenaces reprehendi, nec tamen à ſuis prodigentiæ accuſari ſuſtinerent. Largi eſſe cupiunt in dando, ſed non nimii. Quapropter quærunt: quantum dabimus, ut ſatis demus? Vt quàm clariſſimè quæſtioni poſitæ reſpondeamus, aliquot pronuntiata præmittamus.

*Quantum in eleemoſynas dare debeamus pronũtiata aliquot.*

Primum eſt: Definita, certáque pecuniæ ſumma omnibus præſcribi vix poteſt.

Alterum: Conſiderandum ſedulò, quis annuus cuiuſque ſit cenſus, quis proventus, canon, reditus cuique ſingulis annis obveniat: nam inde potiſſimùm definienda hæc quæſtio.

Tertium: Accuratè diſpiciendum, quantum quiſque recondat, vel potiùs quantum poſſit in annos ſingulos recondere, ſi velit eſſe frugi.

Quartum: ſupputanda ratio, quid in liberorum educationem, quid in familiæ uſum quot annis deſtinandum.

Quintum: Vix ullus unquam in dandis eleemoſynis prodigentiæ poteſt accuſari. Et reverà præſtat hîc exceſſu delinquere, quàm defectu. Siquidem exceſſus hac in re laudis, defectus vitii eſt. His præmiſſis; & quæſtione hâc perquiſitiſſimè penſiculatâ, circumſpectis rebus omnibus ſubductiſque rationibus nihil hîc certius, nihil ſalubrius videtur poſſe ſtatui, quàm ſi omnes eleemoſynam daturi rationem decimarũ ſequantur. Quàm enim crebrò, quàm conquiſitè Deus in priſcâ lege decimas exegit? *Decimas*, inquit, *& primitias tuas non tardabis reddere. Decimæ*

*Exod. c. 22. v. 29.*

terræ

*Levit. c. 27. v. 30. Deut. 14. v. 22. Eccli. c. 35. v. 11. Malac. c. 3. v. 8.*

*terræ, ſive de frugibus terræ, ſive de pomis arborum Domini ſunt, & illi ſanctificantur. Decimam partem ſeparabis de cunctis fructibus tuis. In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione fac decimas tuas.* Hinc & illa Domini querela: *Vos configitis me. Et dixiſtis: In quo configimus te? In decimis & primitiis.*

*Chryſ. hom. 4. in 1. ad Cor. ho 43. fine mihi pag. 582.*

In lege novâ longè mitiùs atque remiſſiùs nobiſcum agit Deus. Nec enim omnium rerum decimas poſcit; ſatisfieri ſibi patitur, vel pecuniæ ſolius decimis. Et certè Chryſoſtomus has eleemoſynarum decimas à Chriſtianis exigens: *Væ*, inquit, *eleemoſynam non facienti. Nam ſi in veteri iſtud teſtamento fuit, multò magis in novo. Si enim ubi conceſſa erat pecuniarum poſſeſſio, fruitio, ac cura, tantâ providentiâ pauperum habita eſt ratio, quantò majus hoc fieri debebat, ubi omnia projicere jubemur? Quid enim non fecerunt hâc in re Iudæi? Decimas ac rurſus decimas orphanis, viduis, ac proſelytis contribuerunt. Nunc verò admirando dicere ſolemus: Decimas ille vel iſte dat. Quantâ, quæſo, turpitudine ſcatet, ſi quod apud Iudæos nullius erat admirationis, aut celebritatis, apud Chriſtianos jam ſit unde quis debeat admirari? Si tunc periculum erat decimas negligere, perpende, quanti nunc iſtud fuerit?*

*Pareamus intereà beato Paulo, conſtituentes noſtris in ædibus arculam pauperibus, quæ eo in loco, ubi quiſque conſiſtere ac orare ſolitus eſt, reponatur. Ita ut eleemoſynam primùm, quoties acceſſeris oraturus, imponas, & deinde orationem proferas. Vt verò ad orationem illotis manibus venire nolles ſic neque ſine eleemoſynâ accedas. Et profectò non minus eſt juxta lectum eleemoſynam reponere, quàm ſi iſtuc Evangelium ſuſpendas. Iam & commoditates, quibus liceat admodum facilè colligere, vultis, ut recenſeam? Fiet. Sic igitur adjectionem ſuam artifex aliquis, vel ſutor, vel coriarius, vel faber ærarius, vel quicunque tandem is fuerit, levem reddet, ſi aliquid vendiderit ille ſui artificii, primitias ejus pretii Deo offerat, & huc pauculum quiddam conjiciat, exiguámque partem Domino dividat.*

*Chryſoſt. ibidem.*

*Hæc verò ita loquor, ut nullam tamen vobis neceſſitatem imponam, nec jubeam, majus adjicere, nec vetem etiam: quamquam par omnino & dignum erat non minùs quàm decimam partem ex tanto huc inferri.*

Decima pars annui proventus in eleemoſynas ſeponenda. Ex Chryſoſtomo.

Ergo Chryſoſtomi ſenſu, optimè fecerit, qui totius annui proventûs ſui partem decimam in eleemoſynas ſepoſuerit. Rem exemplo monſtramus. Eſt qui ſex millia florenorũ annuatim recipiat, vel è ſuis prædiis, vel è commerciis, ſive ſalarium, ſeu aliud quodcunque lucrum hanc ei argenti ſummam pariat. Ex hac trecenti minimùm floreni videntur in ſtipem erogandi, paratâ, præſentique pecuniâ, ita quidem ut vigeſimus ſemper florenus Deo cedat. Quòd ſi paullò liberalior in Deum eſſe cupiat, florenos dabit ſexcentos, ut decimum quemque conſecret Miſericordiæ. Ita qui tria millia florenorum habet annua, centum & quinquaginta ſaltem florenos, in largitiones pias ſeparet: ſi poſſit eſſe largior, det trecentos. Ita qui mille quotannis florenos accipit, det quinquaginta; ita tamen ut fragmenta panis, ciborum reliquiæ, veſtes detritæ, calcei pertuſi, ligna decidua, conviviola pauperibus paranda, & quidquid horum eſt extra ſummam illam ſint pecuniariam. Hæc enim talia inter decimas non computanda. Sunt enim veluti ſpicæ in agris relictæ, aut in vineis racemuli vinitoribus neglecti, quæ omni jure pauperi Ruth cedunt.

At ſunt perquàm tenuis fortunæ homines, qui annuos dumtaxat centum florenos, ſunt qui ſolùm quinquaginta, ſunt etiam, qui non niſi florenos viginti quotannis recipiant. His quidem nihil ſeveriùs ſuademus, nam ipſimet in paupertino grege numerantur: Nihilominus ille de ſuis centenis quinque aut ſaltem tres florenos in pauperiores ſe diſtribuet; ille ſuis quinquaginta unum alterúmve ſubducet in ſti-

A pem; ille ſuis viginti, ſi non florenum poſſit demere, aliquot certè ſeſtertios Chriſto pauperi aſſignet hilariter, & cum ampliſſimâ dandi voluntate; certúſque ſit propter quantulamcunque hanc eleemoſynam tam largo affectu junctam, viginti ſolùm florenos in rem ſuam feliciùs proventuros, quàm ſi quadraginta vel centum ſibi obtigiſſent.

### § IV.

QVòd ſi aliam decimarum rationem libeat inire: ſic agamus. Vbi ex annuo ſeu ſalario, ſeu aliò quocunque proventu, tam familiæ, quàm liberis rebúſque ceteris pars honeſta ceſſerit, diſpiciat ſecum paterfamilias, quod in annos ſingulos poſſit recondere, ſi luxum, ſumptúſque ſuperfluos velit præcidere. Quòd ſi poſt expenſas omnes mille ſibi florenos ſupereſſe reperiat, pro decimis det centenos: Si reſtent B quingenti, det quinquaginta; Si centum remaneant, det decem. Ita ſemper proportio vel ad ſummam principalem annuam univerſam, vel ad eam certè quæ poſt neceſſarias expenſas remanſerit ſervanda. Ita cùm ſuis quiſque facultatibus ſuas commetiatur eleemoſynas. Siquidem hac in re princeps regula eſt: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Quo modo potueris, ita eſto miſericors. Nec tam attendas quantum eroges, quàm quantùm tibi remaneat.

Chriſtianus omni reprehenſione dignus eſt qui ſuis eleemoſynis pompã induit.

Hinc illi frigidiſſimi Chriſtiani omni reprehenſione digni, qui ſuis eleemoſynis pompam induunt, & ajunt: floreni centum, an non liberalis eſt ſportula? Ita prorſus eſt, ſi eam aliquis è plebe det mechanicus opifex. At tu, mi avare domine, qui anno uno ſex ſeptémve florenorum millia facis tua, cùm florenulos centum è tenaci manu in pauperes exire ſinis, factum cælo appingendum autumas. Itáne tantillum è tanto? Hæc tua in Chriſtum tuum tam ma- C gnifica liberalitas? Non majus cælo pretium facis? Ita ſunt qui decem, qui viginti philippeorum millia: ſunt qui triginta, qui ſexaginta millia florenorum annua dormiendo comparent. Sed heu quantilla pars inde Chriſto pauperi ſecernitur? Grandem ſervorum turbam, copioſorem æquo familiam paſcunt, paraſitos, moriones, mimos donariis & menſâ ſaginant; Chriſtus eſurit. Parietes, imò & pavimentum tapetibus velant; Chriſtus obit nudus. Illorum cellæ generoſiſſimo vino plurimóque ſpumant; ſitit Chriſtus. Equos non ad uſum tantùm, ſed etiam ad ſpectaculum, & totos canum greges Britanicos, Getulos, Gallicos, Aquaticos, Aviarios, venaticos, hybridas, moloſſos magnis ſumptibus alunt, ſat illis loci & pabuli eſt; ſoli Chriſto non eſt locus in diverſorio. Ad omne ge- D nus voluptatum aut pecunia effunditur, aut certè alienum æs contrahitur, tanta luxûs neceſſitas eſt; ægrotat Chriſtus, ſed deſeritur; nec cibo nec alloquio dignus creditur.

*Aug to. 10. ſerm. 25. de divite & Lazaro, mihi pag. 42.*

Hîc altùm vociferatur Auguſtinus: *Et audiant*, inquit, *iſta divites, qui nolunt eſſe miſericordes. Audiant irrogari ſupplicia eis, qui nolunt erogare ſubſidia. Audiant pauperem refrigerantem, audiant divitem pœnis gravioribus æſtuantem. Da igitur petenti, ut poſſis ipſe accipere; tribue pauperi, ſi non vis flammâ exuri. Non quæritur*, inquit Chryſoſtomus, *multáne dederis, ſed num minus dederis, quàm facultates ferant, hoc enim eſt ludentis.*

*Chryſ. to. 4. hom. 8. in epiſt. ad Coloſſ.*

Religio decimarũ in dandis eleemoſynis obſervanda.

Ergo quod jam conſtitutum eſt, eleemoſyna, quæ datur, commetienda eſt ad pecuniam, quæ poſſidetur; major ad majorem; minor ad minorem; ſit aliqua proportio inter facultates, quæ retinentur, & inter ſtipem, quæ diſtribuitur. Religio decimarum, quantum fieri poteſt, obſervanda.

*Sophron. in prat. ſpirit. c. 185. mihi pag. 507.*

§. V.

NArrat Sophronius, quod dicta confirmet. Niſibi Chriſtiana femina maritum habuit à ſacris Chriſtianis alienum. Totus rei domeſticę cenſus quinquaginta floreni erant. Hos maritus promens: Fenori, ait, quidquid hoc æris eſt, exponamus, certè aliquam inde pecuniolam recepturi; alioquin alium poſt alium florenū conſumimus, exiguâ ſpe, nullo proventu. Huic uxor: Mi optime marite, inquit, ſi fenerare placeat, Chriſtianorum Deo longè liberaliſſimo hoc fenoris committamus. Cui vir: Vbinam eſt, inquit, quem laudas, & quo loco adeundus? Hunc tibi, ait uxor, oſtendam, & cum dicto virum clementer ad templum traxit. Veſtibulum templi obſidebant mendici, quos digito monſtrans femina: Quiquid his donatur, inquit, hoc Chriſtianorū Deus, ut ſibi donatum, largiſſimè remuneratur. Ab uxore demùm perſuaſus, quinquaginta florenos centumculis commiſit. Ita domum redierunt. Exacto trimeſtri, res anguſta domi ſollicitos habuit conjuges. Hîc maritus ad uxorem: Video, inquit, Chriſtianorum Deus, aut nullum reddit fenus, aut tardiſſimè. Et non dura jam egeſtas vellicat. Imò verò, mi vir, ait uxor, fideliſſimus eſt Deus noſter; tu modò animum ne deſponde; omnia reddentur cum ampliſsimo fenore. Hoc age; locum repete, ubi ærariolum noſtrum in mendicos deplevimus. Paret, & eò redit, ſed qui ſe debitorem fateatur, neminem invenit. Hinc mœſtus oculos defigit humi, & caſu, quod putabat, jacentem ad pedes monetam conſpicit. Hanc domum deferens uxori: Mihi crede, ajebat, nec Deum Chriſtianorum vidi, nec fenoris quidquam accepi, hoc ſolum reperi numiſma. Vxor jam multò in ſpem erectior: Nil ambigas marite, inquit, Deus eſt, qui univerſa, maxima, minima ſuo diſpenſat nutu: hic ipſiſsimus ille Deus hanc oculis tuis, hanc tuis manibus monetam obtulit: quare abi, & aliquid in prandium eme. De cetero ille idem Deus ſuorum amantiſsimus providebit. Abiit ille, & piſcem pretio illo præſtinatum uxori retulit menſæ parandum. Hunc illa manibus avidiſsimis aperiens, lapillum in eo reperit formæ ac nitoris inuſitati. Mirantur ambo conjuges, ſed felicitatem jam præſentiſsimam nondum agnoſcunt. Non tamen nullius eſſe pretii tam ſpecioſum ſeu vitrum, ſeu margaritam credunt. Igitur maritus argentarium ſibi aut gemmarium adeundum ratus, & en eum ipſum, quem quæſivit, opportuniſsimè obvium allocutus: Num, inquit, hunc lapidem emis? Hunc gemmarius manu oculiſque in eam rem eruditiſsimis verſans: Tua eſt, inquit, indicatio; fac pretium: quanti? Hoc ego, ait alter, tui arbitrii eſſe volo; da, quod placuerit. Gemmarius tam ignorante mercis, ac facili venditore gaviſus: Præſentario argento, inquit, florenos quinque numero. Ille rideri ſe putans: Florenos quinque, ait, pro hoc lapillo? Mox emptor pretium augens: Ne diu litigemus, ait, florenos decem accipe, pretium ſanè honeſtum. Iam magis ſe rideri cenſens venditor, aliquantiſper conticuit. Gemmarius ne fortunam tam imperito venditori nondum cognitam è manibus dimitteret: Ne contumaciæ tuæ reſiſtam, ait, florenos dabo viginti, & rata ſit emptio. Hîc venditor majus quid latere ſuſpicatus, meditabundum tenuit ſilentium. Nec tamen emptor deſiſtere, pretium magis ac magis augere, florenos triginta ponere, mox & quadraginta, imò & quinquaginta offerre: Iam demum alter non amplius vitrum, nec infimam gemmam credere, ſed raræ virtutis margaritam æſtimare. Dum ita licitantur, florenos emptor trecentos pollicitus: Tanti eſt, inquit, pretii & non majoris, quod mihi puto ſincerè ac ingenuè fa-

A tenti credes. Placétne vendere; trecentis emo: nec ultra obolum addo. Emptorem habes, ſi velis. Sin aliud vis, tuum tibi habe lapidem, & abi. Huic tandem æſtimationi aſſenſus alter: Emptio, inquit, facta eſt: Lapidem accipe, & trecentos mihi florenos numera. Numerati ſunt. Hos ille quamprimùm ad uxorem ingenti cum plauſu detulit Sed uxor locuturum prævertens: Dic, ait, quot ſeſtertiis vendidiſti lapidem? Ad quam maritus lætiſſimo vultu: Tu potiùs, inquit, quære quot florenis. Non ipſa fortuna nobis fortunatior ſit: Proſperitatem albis quadrigis in noſtras ædes invectam crede. Ignotum nobis lapidem, florenis vendidi trecentis. Femina Chriſtiana gaudio ſubſultans: En, inquit, qualis ſit Chriſtianorum Deus, quàm bonus, quàm dives, quàm gratus! Non quinquaginta ſolùm florenos, ipſi commodatos, ſed fenore ſextuplici reddidit trecentos. Hunc Deum, mi vir, agnoſce, & cole: hic unus & ſolus cælo terráque B Dominus eſt: *Omnes dii gentium dæmonia.* Ita vir ille cùm rei miraculo, tum verbis conjugis eruditus Chriſtiana ſacra ſuſcepit.

*Pſal. 95. v. 5.*

Vivit etiamnum hic Chriſtianorum Deus, qui argentum in tale fenus quærit, & accipit, & uſuras reddit ampliſſimas. *Vult in paupere ſibi dari*, ait Chryſologus, *& qui vult ſibi dari, vult quod datum eſt, ſe debere, & qui vult ſe debere, quod datum eſt, vult largientibus nil perire. Deus parva poſcit, maxima redditurus. O homo, da in terrâ pauperi, quæ tibi manere vis in cælo!*

*Petr. Chryſol. ho. 3[...] in fine.*

# CAPVT IV.

## *Convivium egenis inſtruendum, Chriſtum convictorem alendum, Chriſto aliquid omni menſâ ſeponendum.*

C VIDVA Naitica defunctum filium non ſola luxit, ſed unà ſecum multos habuit lugentes & ipſum Chriſtum, qui matri vivum reddidit, quem mortuum plorarat. Non ſolis ceremoniis hæc luctûs ſocietas ſtetit. Ita Chriſtus lacrymis, quas Lazari ſorores fuderant, non ſolùm ſuas adjunxit, ſed & Lazarum à morte revocavit, & ita geminæ ſororis luctum gaudio commutavit. Hinc Paulus Dei miſericordiam extollens: *Pater miſericordiarum*, inquit, *& Deus totius conſolationis.* Bona & mellea verba, ſi ſola ſint, infæcunda ſunt, nec miſericordiam ſatis teſtantia.

*2. Cor. 1. v. 3.*

Iacobus Apoſtolus luculentè: *Si frater* inquit, *aut ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis. Ite in pace, calefacimini, & ſaturamini, non dederitis autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit?* Quod Ioannes altiùs infigens animo: D *Filioli mei*, ait, *non diligamus verbo, neque linguâ, ſed operè & veritate.* Chriſtianus amor, &, quæ ab eo provenit, beneficientia manus & brachia provocat ad opus, verborum melle ac ſaccharo minimè contenta. In eam rem actiones Beneficentiæ novem jam ſuprà expoſuimus: tres alias hîc addimus, ut exactè doceamus, quibuſnam modis eleemoſyna bene ac convenienter præbeatur. Harum prima eſt; *Convivium egenis inſtrue.* Altera: *Chriſtum convictorem ale*; Tertia: *Chriſto aliquid omni menſâ ſepone.* De his jam plura.

*Iac. c. 2. v. 15. & 16.*

*1. Ioan. c. 3. v. 18.*

*Hoc nam[...] charita[...] actus [...] Thom. 2. [...] q. 31. art. [...]*

§. I.

*10. Modus Convivia egenis inſtrue.*

ERgo decimus partiendæ ſtipis modus eſt; *Convivium egenis inſtrue.* Hoc Chriſtus explicatiſſimè injungens: *Cùm facis prandium*, inquit, *aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites,*

*Luc. c. 14. v. 12. 13. & 14.*

*divites, ne fortè te & ipſi reinvitet, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos; & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorum.* Hæc Domini præceptio non è Rhetorum ſcholis metaphora, non tropus, non figura, non color eſt Rhetoricus. Verba ſunt planiſſima & apertiſſima, nec in alium ſenſum torquenda. Vi verborum cæcis, debilibus, claudis, pauperibus inſtruendum eſt convivium. Non quidem prohibet Chriſtus, quin & ſanguine, vel aliâ neceſſitudine coniuncti convivio poſſint excipi, ſed docet beneficia, quæ in amicos vel cognatos conferuntur, in Orbe altero, iis præmiis non afficienda, quibus ea ſolent, quæ pauperibus Dei cauſsâ impenduntur. Si ergo convivium velis adornare, quod tibi quàm fructuoſiſſimum ſit, ſi epulum tuum quàm optimè collocare cupias, & mercedem inde ſperes quàm ampliſſimam, mendicos, hominum abjectiſſimos invita; vel ideo maximè, quia par reddere ac viciſſim te convivio excipere non poſſunt. Et ideo etiam cave dixeris: Omnes mihi pereunt convivales impenſæ, ſi eam hominum fęcem menſæ admoveam. Quid enim favoris aut commodi rependent? ſi hoc ſpectes, quod plerique omnes homines, ut inviteris viciſſim, aut beneficii aliquid, & gratiæ ab invitatis obtineas, jam perdidiſti omnia. Nam quod Ambroſius dixit, *Hoſpitalem eſſe remuneraturis, affectus eſt avaritiæ.* Quàm autem levicula, quàm vilis eſt compenſatio, ſi recipias unde ventrem ad aliquot horas ſuffarcias. Ergo pauperibus convivium tuum appara, qui æquale quidem non retribuent, ſed majus. *Et beatus eris.* Nam eo ipſo, quòd ab illis nihil aut expectaveris, aut receperis beneficii, illorum loco rependet Deus, qui collatum ſibimetipſi beneficium imputat, quod confers in egenos. Deum numquam obliviſcentem habebis debitorem, convivio excipieris æterno. Non ergo turbemur, cùm non recipimus beneficii compenſationem, ſed cùm receperimus, triſtemur: Quia merces caduca ſubtrahit æternam. Hac in re Chryſoſtomus planè germani oris & pectoris, candidiſsimè ſuos auditores inſtruens. *Amicum,* inquit, *ſi vocaveris, ad veſperam durabit gratitudo. Pauperem ſanè & mutilum ſi vocaveris, numquam peribit. Nam debitorem habes Deum, qui perpetuò reminiſcitur, & & numquam oblivioni tradit. Quanta verò mollities fuerit, dic quæſo, cum pauperibus non poſſe ad menſam ſimul recumbere? Quid dicis? Immundus eſt pauper, inquis, ac ſordidus. Ergo lava ipſum, & ita duc ad menſam tuam. Sed veſtimenta habet ſordida & ſqualida? permuta cum tuis, da illi ſtolam mundam. Non vides, quantum hîc ſit lucri? Chriſtus per ipſum ad te venit, & tu erga ipſum parcus & ſordidus es?*

*Luc. cit.*

*Chryſoſt. in catenâ.*

Hoc loco Chryſoſtomus tam venuſtè, quàm copiosè geminas ſed diverſiſsimas mēſas deſcribit, quarum altera ſolis principibus viris, mendicis altera meris ſtipata ſit. Cur autem ipſe Chryſoſtomus multò potiùs menſam pauperum, quàm principum vellet accumbere, illuſtriſsimâ dictione cauſſas aſsignat. Has ego, mi Lector, à te videri velim, ſi quidem diſertam eruditionem amas. Propterea digitum intendo ad fontem. Mihi non licet hîc eſſe prolixiori.

*Chryſ. to. 4. in epiſt. ad Coloſſ. mihi pag. 1112.*

Sed, inquis, quid ſibi vult Chriſtus juſsione (liceat dicere) tam abſurdâ? Nuſquam moris eſt, nec unquam fuit, lautiſsimum focum ſtruere, venationes & aucupia in culinam congerere, cupedias & delicias apparare, dein verò luſcos, ulceroſos, mutilos, ſcabioſos, luridos, mendicos in triclinium deducere, iiſque exquiſitas epulas apponere, nuſquam hoc moris eſt.

Sapiens non quid moris ſit, ſed quid eſſe debeat, attendit. Vide igitur, mi homo, quàm Chriſtus non ſuâ juſsione, ſed tu opinione tuâ longè fallaris? Novit equidem Dei filius, naturæ depravatæ genium, novit cæleſtis medicus ferire vitalia, & latentem vomicam incidere: naturalis paupertatis etiam alienæ horrore paſsim laboramus, hinc ubicumque licet pauperes declinamus, & fugimus. Eorum miſereri congruum cenſemus, modò illi à nobis remoti ſint. Procul, ô procul, dicimus, fœtores & ſordes pauperum, modò illi nos in noſtris ædibus non infeſtent, domi ſuæ maneant, ita eos promptiùs iuvabimus. Hîc medicus è cælo, ut nequam hanc ab Adamo indolem curet, planiſsimis verbis præcipit: *Cùm facis prandium, aut cœnam, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos.* Et quod Iſaias jam olim juſſerat: *Egenos, vagóſque induc in domum tuam:* menſæ tuæ adhibe, cibos appone, humaniter alloquere, eſurienti panem tuum frange; adeò te illis officioſum præbe, ut ſi quis illorũ vitio corporis manum ori admovere nequeat, tu tuam illi manum ſubſtitue, & cibum in os inſere.

*Luc. c. 14. v. 12.*

*Iſai. c. 58. v. 7.*

Videte, ô paupertatis & pauperum oſores, quàm non ſatis ſit Chriſto, ſi pauperibus panis fruſtillum, aut cupreum nummulum per feneſtras projiciamus; vult eos in domum introduci, menſâ communicari, vult eſſe nobis proximos. Ita ſuperbia humana, ita mollities noſtra, ita nauſea pauperum nimis quàm delicata ſeriis his antidotis eſt expugnanda. Egenos induc in domum tuam, ut amicos, ut fratres tuos complectere.

Fecit hoc certè tertius Sabaudiæ Dux Amedæus: qui pauperes ſuos commilitones, imò advocatos & defenſores ſuos appellare ſolitus eſt. His cibum, potum, veſtes etiam ſuo corpore detractas liberaliſſimè impertiit: comedentes aſſedit, cibos eis anteposuit, alloquiis humaniſſimis animavit. Ad hunc principem miſſus aliunde legatus, qui ſuper menſâ ſermonis opportunitatē nactus de canibus venaticis quæſivit. Cui princeps: Cras, inquit, videbis illos. Die altero Legatus in triclinium ductus, & ad proſpectum invitatus eſt in ſubjectum ampliſſimum locum, ubi oblongiores menſæ complures pauperibus fuerant ſtipatæ. Hos pranſores Amedæus Dux loquente dextrâ monſtrans: Atque hi, ajebat, ſunt mei canes venatici; his cælum ut ſpero, venabor: ego illis panem cibarium ſubminiſtro, illi mihi cæleſtem impetrabunt; ambroſiam & nectar ab horum manibus expecto. Orator ne nihil ſapere videretur, iſtud objecit: Atqui hoc genus hominũ plerumque otioſum, vagum & raro frugi eſt. Cui mox Amedæus Princeps: Atqui, ait, mei muneris non eſt horum pectora rimari: ſi Deus noſtra ſic examinet, quis illi erit innocens? Ego pauperes paſcam ut pater, non ut judex. O principem beatum, cujus ſalutem hi venatici canes tutiorem præſtent, quàm mille prætoriæ cohortes quàm decem millia immortalium Perſarum, quos Darius Rex habuit ſtipatores. Ergo convivium egenis inſtrue.

*Raphaël Volateran. l. 2. Geographia, & Lambertus Vanderbukius.*

Amædei canes venatici erāt pauperes.

His cælum ſperabat venari.

## §. II.

VNdecimus in dandis eleemoſynis modus, *Chriſtum convictorē ale.* Hoc conſilii ditioribus damus, ut ſaltem unum aliquem è pauperum tribu perpetuò alant. Quod beneficii genus in adoleſcente, qui litteris vacat, optimè collocatum putem.

11. Modus: Chriſtum convictorem ale.

Anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo tertio Hedwigis miræ ſanctitatis femina, Poloniæ princeps, ideo ſe nulli religioni addixit, ut tanto contentiore ſtudio in pauperes ſeſe effunderet. Imò vita illius omnes religioſorum hominum rigores ſuperavit. Diebus namque ſingulis jeiunium religioſiſſimè ſervavit, ſi dies dominicos & feſtos demas, quartâ quavis & ſextâ hebdomadis feriâ inediam pane ſolo & aquâ toleravit; carnibus ſemper abſtinuit, idque annis quadraginta; vinum ſolennioribus tantùm diebus admiſit; quotidianus ei potus aqua fuit. Veſtis illius cilicium,

*Obiit anno 1243. die 15. Octobris ita Surius to. 5. è Bleſio Laubichio, qui vitā illius ſcripſit.*

Hedwigis in pauperes liberalitas.

cium, ex equorum ſetis aſperrimum erat, quod unâ ſolâ tunicâ, ſimplicique pallio tam æſtate quàm hieme tegebat. Remotis lecti plumis, aſſeri aut pavimento, vel marmori quod corium veſtiebat, indormiit. Delicatum cenſuit ſomnum, ſi culcitram ſtramentitiam in morbo admiſiſſet. Porrò pauperibus tam effusè dedit, ut ſibi vix ad tenuem victum veſtitúmque neceſſaria retinuerit. Tredecim mendicos tamquam Chriſtum, & Apoſtolos quotidie aluit. Et quotieſcumque iter faciendum, hos ſibi comites adjunxit, horum primam in hoſpitiis curam habuit, ipſa eis ad menſam ut famula miniſtravit. Aliis verò pauperibus ſeparatam culinam certóſque famulos aſſignavit. Non continuit ſe liberaliſſimus Deus, quin iſtud benefaciendi ſtudium etiam extra cælum remuneraretur, non auro, ſed ſanandi & vaticinandi dono, quod utrumque Hedwigis habuit. A nemine Deus liberalitate ſe vinci unquam paſſus eſt.

Illud in alendis tredecim mendicis, velut Chriſto & duodecim diſcipulis paſcendis Clemens VIII. Romanus Pontifex feliciter imitatus, qui hunc pauperum convivarum numerum alimentis quotidianis enutriit.

*Ionvil. in vitâ ipſius c. 84.* Ludovicus IX. Galliarum Rex ad immortalitatem religione & memoriâ conſecratus, quotidie centum viginti pauperes menſâ regiâ refecit, quocumque terrarum abiiſſet. *Actor. c. 1. v. 15.* Quâ in re ſanctiſſimus Rex numerum illum Dominici gregis ſpectavit, in quem Spiritus ſanctus die Pentecoſtes delapſus eſt. Et quamvis Ludovicus integerrimos mores hac ſacrâ beneficientiâ mirè ornarit, improborum tamen linguas neutiquam evaſit. Sed ille propoſiti tenax reſpondere ſolitus eſt: Hos ſumptus, putem, in egenos rectius, quàm in luxum contulero.

Amorem & miſericordiam fratrem & ſororem non malè dixeris, quibus plurimum ſit ingenii. Amor certè ingenioſiſſimus eſt, & mirus artifex, cùm robuſtus eſt; nec ei abſimilis ſoror Miſericordia, cui ſubinde parum eſt donare, niſi etiam pietatem ingenioſam adjungat dono.

Sic Ida fecit femina nobiliſſima, quæ maritum habuit Egbertum Comitem, qui in aulâ Caroli Magni Præfectus Prætorio fuit. Egberti conjux Ida compluribus ante obitum annis feretrum ſibi parari juſſit. Hoc quotidie bis omni eſculentorum genere ad ſummum implevit, bis etiam in pauperum uſus exhauſit: ita ſimul & animum ſuum memoriâ mortis erudiit, & egenos largitione tam piâ plurimùm adjuvit. Sic utique plures, quàm unum dumtaxat convictorem Chriſtum aluit.

*Gregor. Turonenſ. l. 2. Hiſt. Franc. c. 24 mihi pag. 241. Baron. to 6. pag. 314.* Anno quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto, Sidonii Epiſcopi ævo Burgundiones dira fames invaſit, & vulgus alimoniâ deſtitutum huc illuc ſparſit. Ecdicius vir Senatorii ordinis, Sidonii cognatus, ingens animi, fiduciâ divinæ opis rem magnam auſus eſt. Cùm enim irroboraſſet famis ſævitia, famulos cum equis & plauſtris ad oppida vicina miſit, ut ad ſe perveherent, quos adeò confeciſſet inopia. Ita maximus egenorum numerus Ecdicio advectus eſt. Vltra quatuor millia tam virorum quàm mulierum fuiſſe ajunt. Hos omnes Ecdicius toto annonæ tempore liberaliter nutrivit, alioqui fame conſumendos. Laxatâ iterum annonâ cùm ubertas jam rediiſſet, ſinguli diſpoſitis vecturis in ſuum locum ſunt reſtituti. Ab horum diſceſſu vox cælo lapſa hunc pauperum parentem ſic compellabat: *Ecdici, Ecdici, quia feciſti rem hanc, tibi & poſteris tuis non deerit panis in ſempiternum; eò quòd obedieris verbis meis, & famem meam refectione pauperum ſatiaveris.*

Divina hæc promiſſio plus continet theſauri quàm litteræ ſignis centum conſignatæ, quæ mille auri milliones pollicentur. Neque verò in famem tantùm Ecdicius fortiſſimè pugnavit eleemoſynis, ſed & ma-
A gnam Gothorum multitudinem, decem tantummodò viris ſtipatus in fugam egit. Nimirum & animo & corpori vires ſuppeditat Miſericordia, quæ Deum ipſum audet vincere. Vt hanc habeas in matrem, Chriſtum ale convictorem. Modeſtiſſimus eſt convictor iſte, ſimúlque gratiſſimus, qui regnum in ſui convictûs pretium perſoluet.

## §. III.

DVodecimus erogandi modus, *Chriſto aliquid omni menſâ ſepone.* Et en hac in re magiſtros, qui te hoc doceant. *12. Modus Chriſto aliquid omni menſâ ſepone.* Familia nobilis eſt, quæ omni prandio & cœnâ, imponit menſæ lancem vacuam; in hanc ex omnibus pæne ferculis aliquid reponitur. Ita è diverſis patinis ſine omni accumbentium detrimento ferculum optimum conficitur. Hoc autem, prout patri-
B familias videtur, jam ad iſtum, illúmve pauperem, modò ad hunc, aliúmve ægrotum mittitur. Ingenioſa eſt, ut diximus, Miſericordia, & novorum aſſiduè theſaurorum inventrix.

Alia familia lac omne, quod die ſabbathi à pecore toto excipitur, in pauperum uſus effundit.

In cœnobio quodam priſcæ conſuetudinis eſt, in triclinio diebus triginta continuis vacuum defuncti locum eatenus honorare, ut quidquid cibi potúſque appoſitum fuiſſet vivo, id omne apponatur mortuo. Quia verò mortui parcè comedunt, illa omnia menſæ illata in pauperum caſas abeunt. Inventiones non ſolùm pulchræ, ſed & fructuoſæ. Hoc prorſus eſt. *In bono oculo adinventionem facere manuum ſuarum.* *Eccli. c. 35. v. 11.* His inventionibus mirificè delectatur Deus, quod ipſe jam olim faſſus: *Ego Dominus,* inquit, *ſcrutans cor & probans renes, qui dono unicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum.* *Hier. c. 17. v. 10.*

C Iuſtus Lipſius ab eruditione ac ſcriptis Orbi notus, hoc unicum ſibi minerval poſtulans: *Tu quidem Lector,* inquit, *ſi quid adjutum te hac induſtriâ noſtrâ ſenties, gratum memorémque te præbeas hactenus, ut duobus verbis uſurpes:* LIPSIVS INVENIT. *Hoc enim cum Thalete à te non ineptè peto, qui Mandraytum Prienenſem cùm nova quædam ac ſubtilia de cælo ac ſole docuiſſet, offerente illi mercedem quam & quantum vellet: Hoc pro omni mercede eſto, inquit, ut quoties apud alios ea proferes, Thaletem auctorem inveniſſe non celes.* *Lipſius in Præfatione ad antiquas Lectiones.*

Si tanti eſt aliquid inveniſſe præclarè, quin exerimus hîc ingenium, & nova largitionis artificia excogitamus, aut certè uſurpamus excogitata. Hîc inventoribus, aut eorum imitatoribus immortale præmium eſt.

Sed obducas forſan: Marſupiolum meum inventionibus dandi non eget, ſed accipiendi: Quæ annus porrigit, in annuam alimoniam ægerrimè ſufficiunt. Sufficient equidem, mi homo, ſi tua annua tibi aliquid
D non recuſarint detrahi. Nova hæc, inquis, & inaudita philoſophia eſt, rem augere detrahendo. Quod enim floreni decem non impetrant, quâ tandem ratione id impetrabunt novem? Quæ ſui deminutione creſcunt? Imò verò plurima. Naturam intueamur. Sanguis inciſâ venâ vel cucurbitulis admotis ſubducitur, non alio reverâ fine, quàm ut detractio ſanguinis ſit incrementum valetudinis, & ipſiuſmet ſanguinis hoc modo purgandi. Ita ſtrues lignorum nimiùm denſa, immiſſum ignem ſuffocat. Subtrahuntur aliquot ligna, & ignis mox aſſurgit & invaleſcit. Ita cibum corpori dandum imminuimus, & nutritionem acuimus ac promovemus. Et plerumque quò plus detrahimus eſcæ, plus adjicimus vitæ. In rebus animi hoc longè apertiſſimum eſt: honoribus reſpuendis honores aſſequimur, vitandis voluptatibus voluptates æternas obtinemus; quò plura nobis ipſi negamus, plura & majora comparamus. Eadem in eleemoſynis
eſt

eſt ratio. Subtrahe marſupio, & plurimum appones, da & dabitur tibi.

Et quemadmodum ſuprà diximus, ſuas Chriſto decimas non negandas, ita nunc aſſerimus ſuas Deo primitias offerendas. Non hîc aliam à priore, aut novam largitionem præcipimus, ſed alium finem, novam Intentionem. Conſultiſſimum eſt, ut quotieſcumque cibum ſumimus, hinc Chriſto eſurienti aliquid ſeponamus: ita quotieſcumque aliquid pecuniæ recipimus, primitias inde Deo demamus. Hæc de ſummâ deceſſio ſummam augebit. Sunt, qui ſimul florenos quinquaginta, qui centum, qui ducentos, qui plures accipiant. Hîc ſuam quiſque conſcientiam interroget, quid hinc Deo primitiarum loco conſecro? Eſt qui fateri debeat: Nulli mihi ſunt liberi, nec hæredes alii, quàm in funere meo riſuri, quid igitur do pauperi Chriſto amicorum meorum intimo, quas Deo primitias dico? Heu quoties pecuniæ noſtræ parcimus & animæ graviſſimè nocemus? Ægrotare malumus, quàm argenteum illum ſanguinem emittere: Imò, quæ noſtra inſania eſt, non raró perire malumus, quàm argenti venam violare. O fatuos, quibus aurum charius eſt quàm cælum!

## §. IV.

*Ioan. Moſchus Prat. ſpirit. c. 85.*

NArrat Ioannes Moſchus fuiſſe conſuetudinis in cœnobio Scopuli, ut ſub finem verni jejunii pridie Paraſceves confluentibus undequaque pauperibus largiores darentur eleemoſynæ, ita quidem, ut illorum ſinguli tam mellis quàm tritici ſextarium dimidium, integrum vini, & benedictiones tredecim acciperent. Eo autem anno, quo tritici ſterilis proventus fuit; monaſterii ſeniores Patres Abbatem ſubmonentes: Pater Reverende, ajebant, cùm triticum tam malignè proveniret, hoc anno priſcam conſuetudinem ſequi plus quàm difficillimum erit; ipſa reclamat tritici ſterilitas: tantiſper patientiam mendicis ſuadeamus. Quibus Abbas; Obſecro, mei filii, ait, benedictionem patris noſtri Theodoſii ne tollamus. Præceptum ſenis eſt; non expedit nobis illud tranſgredi: Filiorum curam non abjiciet pater. At illi ſuo judicio ſtantes: Non ſuppetit nobis, inquiunt, quod demus: omni tritico domum noſtram ſpoliari nemo ſuaſerit. In mœrorem dejectus Abbas: Ite, inquit, & quod vultis, facite; ego extra culpam ero. Ita negatum eſt egenis triticum die cœnæ Dominicæ dandum. Paullò pòſt præfectus annonæ horreum ingreſſus triticum omne in germen herbámque effuſum reperit. Quapropter nulli ampliùs uſui futurum in mare abjiciendum fuit. Hîc Abbas occaſione tam commodâ exorſus dicere ad ſuos: Nunc, inquit, fratres mei, inobedientiæ laboris metite. Iure merito hanc tritici jacturam facimus, quia monita patris noſtri Theodoſii neglexinus. Quingentis modiis turbæ pauperum ſatisfacere licuiſſet, nunc fatuè providi & ſtolidè parci, ferè quinque modiorum millia perdidimus. Quid lucrati ſumus filii? Quantum nobis ipſi nocuimus hac tam importunâ parſimoniâ? Geminum profectò malum incurrimus. Primum quidem, quia ſpem noſtram nō in Deo noſtro, ſed in horreo noſtro poſitam habuimus. Alterum, quia parentis noſtri juſſa pereunte obſequio contempſimus. Igitur vel ex hoc diſcamus à Deo rerum omnium moderatore diſponi providentiſſimè univerſa. Et quomodo ſuos famulos non nutriet, qui aviculas, qui vermiculos, qui minimas paſcit beſtiolas? Deus omnium & ſingulorum gerit curam, eorum maximè, qui curam gerunt ſuorum pauperum. Æterno res documento ſit, turpiſſimum prodigentiæ genus eſſe, tam malè providam in eleemoſynis parſimoniam.

Ita omnino res ſeſe habent, & quotidiana id teſtatur experientia, nil Chriſto pauperi gratis dari. Ille A ſapientiſſimè parcus eſt, qui opportunè in inopes effuſus eſt. In eam rem narrat vetus Heiſterbacenſis ſcriptor in agro Trevirenſi Meinfeld cœnobiū eſſe, quod *Lacus* appellatur. Divertit eò vir peregrinus è Saxoniâ, benignè ac lautè habitus, hoſpitium ſuum gratiis ampliſſimis inſtitit venerari. Non multò pòſt vir quidam opulétus in Saxoniâ, huic, quem diximus, homini peregrino familiariſſimus ægrotare cœpit. Sub finem vitæ teſtamentarias tabellas compoſiturus illum ipſum interrogavit: Quid cenſeret, quo loco pecuniarum partem optimè locaret, cupere ſe piis largitionibus, dum viveret, divinam gratiam emereri. Huic alter: Mi amicorum optime, inquit, non procul Coloniâ cœnobium eſt viris religioſis habitatum, ab hoſpitalitate ſingulariter commendandum. Expertus hæc dico. Eleemoſynas tuas vix loco meliore collocaveris. Placuit conſilium moribundo Saxoni, & argenti marcas qua- B draginta illi monaſterio legavit. Ea pecunia mox per ſervum Coloniam miſſa. Sed quia bellum, quod inter Othonem & Philippum Reges exarſerat, vias intutas fecit, ſervus relictâ Coloniæ pecuniâ ad Lacum pedes properavit, & Abbati rem ex ordine percenſuit. Miſſus igitur monaſterii procurator legatum illud tutâ fide recepit. Tanti fuit vel unicum peregrinum hominem hoſpitaliùs accepiſſe. Per tales cuniculos Chriſtus collata in ſe beneficia reponit. *Date & dabitur vobis. Ob hoc*, inquit Chryſologus, *ad te venit tuus ditator in paupere, ut eum non dubites accepta reddere, qui tibi gratis dedit habere quod dares.* Præclarè dixit Baſilius: *Dediſti eſurienti, tibi conſuluiſti: quod enim dediſti, cum auctario revertetur.* Eruditè Clemens Alexandrinus eleemoſynam pilæ ludo comparat, in quo eadem pila, quæ ad alterius manum datatim mittitur, viam relegens ad dexteram prioris redit. Quod & Ambroſius confirmans: *Beneficium largientis*, inquit, *præbenti magis permanet quàm* C *ſuſcipienti.* Ergo, quòd hîc duodecimo loco monuimus, Chriſto aliquid omni menſâ ſepone.

*Cæſar. l. 4. mirac. c. 71.*

*Quinque Philippei unam argēti marcā faciunt, ergo 40. marcæ ſunt 200. Philippei, ſeu 276. florenj 10. bacis.*

*Luc. c. 6. v. 38.*

*Chryſol. ho. 27. ante finem.*

*Baſil. ho. 6. in divites avaros.*

*Clem l. 1. pædagogi.*

*Ambr. ſer. 81.*

# CAPVT V.

## *Eleemoſynas è propriis facultatibus, & intentione optimâ dandas: non egeni meritum, ſed miſeriam ſpectandam.*

IN urbibus non infrequens eſt, ut homines depauperati ad largiorem colligendam ſtipem paupertatis ſuæ cauſſas è loco ſuperiori per Eccleſiaſten promulgari cupiant. Aut enim à Turcis aliiſve barbaris capti ſunt, & lytrum quærunt; aut rebus ſuis omnibus per incendium hauſtis, collationem in ædificium petunt; aut certè naufragio vix vitam ſubduxerunt, jámque D omnibus amiſſis ſubſidium adversùs maris iras implorant.

Eſt quidam in orbe pauperrimus homo, quem non una ſolum ex illis cladibus ſed omnes dejecerunt. Et captivus, & incendiis afflictus, & naufragus eſt. Hic mortalium omnium pauperrimus eſt Chriſtus IESVS patris æterni unigena, qui poſt orbem conditum anno quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo nono, mendici habitum, mortalitatis ſaccum induit, & ſeſe in cunis gramineis aſpectabilem nobis objecit, ſtipem petiturus. Triplicem audite cauſſam. 1. Captivus eſt, manibus pedibúſque vinctis. Ipſa mater eum ligavit; *Involvit eum pannis*; in ſtabuli ergaſtulo eſt; negatum ei prodire foràs. 2. Domus illi, hortúſque periit amœniſſimus. Orbis principio paradiſum condidit. Sed heu totus interiit velut incendio conſumptus, & redactus in cinerem. In ſignum incendii Deus *collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem.* 3. Naufragus eſt, nam ſicut vates Hebræus

*Ita Cæſar Baronius numerat.*

Chriſtus triplici de cauſſâ ſe nobis aſpectabilē objecit ſtipem petiturus.

*Luc. c. 2. v. 7.*

*Gen c. 3. v. ult.*

bræus Ionas in mare abjectus eſt, ita hic in dolorum pelagus præcipitatus eſt; balæna ingens, cœtus horribilis, mors eum glutiit, ſed quia hanc prædam nequiit cōcoquere, revomuit. Ita Dei filius in orbem pauper, ita captivus, ita naufragus, ita ad ſtabuli ſordes damnatus: ad extremam paupertatem devolutus ad nos venit mendiculi formâ liberalitatem noſtram exploraturus ipſe præſens. Quin igitur utrâque manu huic mendico damus, quin noſtra omnia, nóſque ipſos vendimus, ut huic pauperum pauperrimo ſubveniamus. Ecquis modus eſt, inquis, quo demus huic regi ſed mendicanti? Duodecim aſſignavi modos, quibus Chriſtiana largitas alienę inopiæ medeatur. Addo tres alios: *Da de tuo: Egeni miſeriam non meritum ſpecta: Da intentione optimâ*. Nunc porrò triplicem hunc modum explico.

Tres alii modi alienæ inopiæ medendi.

§. I.

13. Modus. Da de tuo.

DEcimustertius largiendi modus eſt: *Da de tuo:* Hoc Deus ſemper præcepit ſingulariſſimè, nolle ſe ſacrificium de prædâ, fænore, rapinis, bonis improbè partis. Siracides clamat: *Immolantis ex iniquo, oblatio eſt maculata.* Nam *qui offert ſacrificium ex ſubſtātiâ pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui. Hoſtiæ impiorum*, inquit Salomon, *abominabiles*, quia offeruntur ex ſcelere. Exuviis divo Petro detractis, induvias divo Paulo præſtare non licet. Thus ſublatum furto fœtorem redolet in cælo: ſic eleemoſynæ, quas bona iniquè parta ſubminiſtrant, fœtent, & magis iram Dei provocant. Si quid das, de tuo da.

*Eccli. c. 34. v. 21. & 24.*
*Prov. c. 15. v. 8.*

Anno quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo Gothorum Rex Totilas Romam occupavit, & ſpoliavit. Interim orandi gratiâ divi Petri Baſilicam eſt ingreſſus. Papæ! quàm malè conveniunt preces fundere, & ſpolia diripere. Conſtat eo tempore è Romanâ plebe ad quingentos ſolùm homines in urbe remanſiſſe, ceteris peſte aut fame mortuis, aut certè alio quaquaverſus dilapſis. Primores viri feminæque oſtiatim obierunt, ut aliquid panis aut cibi emendicarent. An forſitan caſtigatricem Domini manum irritarunt immiſericordiâ, aut vitiis illi affinibus? *Immolantis ex iniquo, oblatio eſt maculata.*

*Eccli. c. 3. v. 21.*

Chryſoſtomus hîc ſalsè urget: *Chriſtus dixit: Date eleemoſynam, non avaritiam: quæ ex alieno datur, eleemoſyna non eſt, quamvis egentibus impendatur. Eleemoſyna eſt, quæ omni caret iniquitate: hæc omnia munda facit: aliena rapiens non eſt profectò miſericors, licet infinita largiatur. Nam alios vulnerat, & quos non vulneravit, ſanat; cùm potiùs illos non vulnerare, aut priùs debuiſſet ſanare. Humanus enim eſt, non qui vulnerat pios & curat, ſed qui ab aliis vulneratos ſanat. Sic eâdem miſericordiæ menſurâ non poteſt avaritiæ malum curari. Quòd ſi vel obolum rapueris, & talentum reddas, vix ita quoque reſarcis.*

*Chryſ. to. 3. hom. 80. in Ioan. mihi pag. 325. & to. 5. hom. 33. ad pop. mihi pag. 228.*

Divorum notus panegiryſtes miraculum inſtituto aptum commemorat hunc in modum: Fuit pauperculus nec ultimæ pietatis homo, qui unicè cupiebat beato Gallo aliquid donarii, vicem anathematis deferre. Verùm res anguſta domi negabat libationis pretium. Ergo aliquid auſus homini opulento alveare cerâ & melle ſtipatum religioſo, ut putabat, furto ſubduxit. Nec enim nefas eſſe cenſuit, ſublegere quidpiam tam abundanti, præſertim quod tranſiret ad ſacra. Ita ceram domi liquatam ad beati Galli ædem attulit. Cùm jam in templo ageret donarium oblaturus, deprehendit ceram in ſaxum obriguiſſe. Eâ re territus, ſocio id dixit; qui hominem ad pœnitentiam animavit, monuitque, ne deinceps in cælites liberalis eſſe vellet ex alieno. Vbi hoc ædis cuſtodibus innotuit, fama miraculi emanavit.

*Surius in vitâ S. Galli c. 8. Barō. to. 9. ad annum 747. nu. 7. Verba Baron. ſunt: pauperculus quidā juxta regiam poſſessionē, quæ Rotamvvila dicitur, commanens, &c.*

Huic firmando non abſimile Gregorius Turonenſis commemorans, narrationem his omnino verbis orditur: Sic & in portu maris geſtum fuiſſe multorum confirmat relatio. Vir grandis natu, ſed pauper, navigium onuſtum, quod etiamnum in littore hærebat, adiens, eleemoſynas à nautis petere inſtitit. Ex eâ turbâ protervior uſus, cùm virum mendicantem audiret, excandeſcens: Abi, ait, abi ſilicernium; nos hîc præter ſaxa nihil vehimus. Cui ſenex placidè: Velit Deus, inquit, ut, quod dixiſti, verum ſit; ſaxa vehite. Eventum habuere verba. Mox enim quidquid in navibus eſculenti fuit, in ſaxum mutavit. Ego, ipſe, ait Gregorius, ex iis & dactylos vidi, & olivas aſpexi marmore duriores. Cùm enim omnia in lapidis duritiem abiiſſent, colorem tamē & formam priſtinam retinuerunt. Nauclerus ubi panem ſaxeum ſibi molendum, ceteráque omnia in ſaxum celerrimâ metamorphoſi commutata vidit, immitis dicti pœnitentiâ ſaucius, ſenem veſtigare cœpit, quem nuſquam reperit. Miraculi fama civitates plurimas pervolavit: ſed & panes, fructus, carnes, aliique cibi ſaxei, & omnis illa eſculenta merx, quæ in lapides induruit, monimenti loco variè diſtributa eſt, ut eo exemplo diſcerent præparci, mitiùs & liberaliùs agere cum pauperibus. Ecce quid juvas, ait Turonenſis Antiſtes, quid agis impudens avaritia? feciſti hominem pauperem, qui non porrigendo pauperi putavit ſe fieri poſſe ditiorem.

*Greg. Turo de Gloriâ Confeſſ. c. 108, ſeu pœnult. mihi pag. 350.*

Da pauperi, ſed da è tuo; quidquid furtivum, quidquid dolo, vi, malâ fide partum eſt, ad eleemoſynas inconveniens, immundum eſt, placere non poteſt. Annis ſuperioribus, dum Bellona Bohemiam, Auſtriam, Capellatium exercuit, in totam deinde Germaniam ſeſe effudit, ſcilicet ab anno vigeſimo ad hunc trigeſimumſeptimum. Deus bone! quàm multi & varii, quàm mirabiles & intricati fuerunt quæſtus in cudendis, in erogandis, in recipiendis, in commodandis & permutandis pecuniis? Et adhuc ſub judice lis eſt, qui adeò religioſâ & innoxiâ manu rem nummariam tractarit, ut jure dixerit: Quis arguet me de peccato? Labyrinthus hic fuit, in quo etiamnum circumagimur errando. Qui ſuæ ſaluti ſeriò cupit conſultum, ad paucula hæc animum advertat.

Dolo, vi vel malâ fide partū ad eleemoſynam inconveniens eſt.

Primum eſt: In ſeipſum quilibet deſcendat, & ſuam conſcientiam laternulâ rimetur, eámque ſolerter interroget, num illis prætéritis annis optimâ fide pecuniam ſibi redegerit? ſi nulla mali, nec levis quidem ſuſpicio deprehendatur; bono animo ſit, graves morbos argentanginam & phylargyriam evaſimus. Quòd ſi conſcientia eo modo interrogata trepidet, & vel ſilentio ſe ream fateatur, non acquieſcat iſte, dum plenam conſcientiæ tranquillitatem reſtituerit.

Animadverſiones tres pro conſciētiæ ſecuritate.

Alterum eſt: Quòd fide bonâ quis egerit, indicii loco habendum, ſi viros eruditos & conſcientiæ ſuæ arbitrum interrogârit, idque ſincerè ac nihil celando; nam unica quandoque vocula vel exceptiuncula negotium totum convertit & variat. Qui cōſcientiæ ſuæ judicem ſecutus eſt, ſed errantem, non erravit ſequendo. Ad politicum tamen tribunal poteſt puniri licet innocens in tribunali divino.

Tertium eſt; Quòd aliquis fide malâ egerit, ſat ſigni eſt, ſi nummariam tractationem nec ipſe ſatis examinârit, nec alios ſuper eâ re interrogârit, aut explicandum aliquid ſubticuerit, aut aliorum judicio ſtare recuſarit; hic certè deliquit, tametſi forſan pecuniaria commutatio non iniqua fuerit.

Ita ſingulis annis acceptum & expenſum accuratiùs ſcrutetur, qui eleemoſynas de ſuo largiri cupit: *Spiritus enim omnia ſcrutatur*. Hoc Hieruſalem ſcrutari eſt in lucernis. Si quid malè partorum fuerit repertum, reddatur, cui ademptum eſt. Huic ipſi, ais, non poteſt reddi. Egenis igitur, non ut beneficium, ſed ut debitum reſtituatur. Eleemoſynæ non admittunt niſi

*1. Cor. c. 2. v. 10.*
*Sophon. c. 1. v. 12.*

purum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*Prov. c. 3. v. 9.* purum & ſceleris expers argentum. *Honora Dominum de tuâ ſubſtantiâ,* da de tuo.

*Vide S. Thomam 2. 2. qu. 32. art. 7. concluſ. Ex injuſtè acquiſitis per furtum vel rapinam, non poteſt fieri eleemoſyna, ſed reſtitutio fieri debet.*

### §. II.

14. Modus: Egeni miſeriam, nō meritum ſpecta. *Chryſ. ho. 21. in 1. Corinth.*

DEcimus quartus per ſtipem bene merendi modus: *Egeni miſeriam, non meritum ſpecta.* Chryſoſtomus admodum indignè ferens, tam ſtrictam à pauperibus rationē exigi: *Vos,* inquit, *in adultam noctem bibitis, dein pleno ventre plumis ſepulti in multam lucem ſtertitis; dum dulciſſimus etiam ſomnus amareſcat; ſic dies alter priori non diſſimilis ſumit exordium. Vbi autem mendiculus frigore ac fame pæne enectus prorepſerit, vitæ diarium ab eo exigitis.* Chryſoſtomi verba ſunt: *Tempus eſt miſericordiæ, non diſcuſſionis ſcrupuloſæ. Nutriri ac veſtiri vult pauper? Efficiamur miſericordes, non quomodocumque, ſed ut Pater noſter cæleſtis, qui & improbiſſimos nutrit & veſtit omnes.* Ergo non meritum, ſed miſeriam egeni ſpectâ. Hoc Chriſtus propoſitis præmiis commendans: *Qui recipit prophetam,* inquit, *in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit juſtum, in nomine juſti, mercedem juſti accipiet. Et quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* (*Matt. c. 20. v. 41. & 42.*) Ita qui pauperi dederit, in nomine pauperis, nō deſtituetur præmio: Hîc expedita cauſſa eſt. Niſi cōſtet, quod rariſſimum eſt, hominem egentem ſtipe fieri pejorem; tunc ſolùm contrahenda eſt manus. Quòd ſi è duobus non utrique poſſit dari, dandum eſt digniori. Sin autem facultates non abnuant, Servatoris juſſu, *omni petenti te tribue.* (*Luc. c. 6. v. 30.*) Aliud eſt enim dona, aliud ſtipem dividere. Ariſtoteli quidā, Laërtio teſte, opprobavit, quòd homini malo dediſſet. Cui mox philoſophus: Non mores, inquit, ſed hominem commiſeratus ſum. Vir bonus etiam improbis in neceſſitate cōſtitutis ſuccurrit. Debetur hoc officium non promeritis, ſed naturæ. Præterea bonus fieri poteſt, qui malus eſt. Chryſoſtomus, quem dixi, hoc frequentiſſimè inculcans: *Non moribus demus,* inquit, *ſed homini. Mendicus unicum habet patrocinium, quòd eget, quódque in neceſſitate conſtitutus eſt; ne quid ab illo poſtules am pliùs. Sed etiam ſi fuerit omnium improbiſſimus, & eguerit neceſſario victu, ſedemus illius famem. Ita Chriſtus præcepit. Portus eſt in neceſſitate conſtitutorum homo miſericors. Portus autem omnes, qui in naufragium inciderint, excipit liberátque, ſive mali fuerint, ſive boni. Tu proinde ſi videris hominem, qui in egeſtatis naufragium inciderit, ne judica, ne vitæ geſta examina, ſed medere miſeriæ. Aliud eſt judex, aliud eleemoſynæ largitor. Ideo vocatur eleemoſyna, quòd eam & indignis damus. Ne ſcruteris igitur curioſè pauperum vitam atque negotia. Nam extremæ illud inſolentiæ eſt, pro uno pane totam hominis miſeri vitam curioſè inquirere. Nam etiamſi homicidà, ſi latro, aut aliud hujuſmodi fuerit, an non videtur tibi vel pane, vel modico argento dignus? & tamen Dominus tuus illi ſolem ſuum producit. Obſecro igitur ego vos, omnia in ſimplicitate faciamus. Eſto enim, qui ad nos accedit, ſit impoſtor: non tamen juſſus es hæc curioſè ſcrutari.* (*Chryſ. to. 2. conc. 3. de Lazaro mihi pag. 1150. & to. 4. in epiſt. ad Rom. ho. 21. mihi pag. 207.*)

Hæc Gregorius Nazianzenus ſuo etiam calculo probans: *Multò ſatius eſt,* inquit, *ob eos, qui digni ſunt, indignis quoque largiri, quàm dum metuimus, ne de indignis bene mereamur, dignos etiam beneſitio fraudare.* (*Greg. Naz. orat. 19. in parentis funere.*)

### §. III.

Et ultrò da non petētibus, & egeſtati occurre.

AD hunc decimum quartum largiendi modum pertinet. *Vltrò dare non petentibus, & egeſtati occurrere.* Beatus, qui intelligit ſuper egenum, non qui petēti ſolùm tribuit, ſed qui petiturum etiam prævertit. Auguſtinus acriter ad iſtud impellens: *Non eſt,* inquit, *perfecta miſericordia, quæ precibus extorquetur. Feſtina, ô pietas & occurre; ne tibi vendices, quod Domino debetur.* (*Aug. to. 10. 450. homiliar. ho. 39.*) Quàm multa variáque nobis proveniunt in hortis, in vineis, in agris; quot herbæ, quot fructus, quantum vini, quantúmque tritici nobis non rogantibus, ſæpe nec quidem cogitantibus ſuccreſcit. Chriſtus Dominus modò quatuor, modò quinque millibus hominum certè non petentibus convivium lautum inſtruxit. Creſcit dum impenditur victus.

Adrianus II. gente & domo Romanus, nondum tiarâ primâ decoratus Sergio Pontifici familiaris, cùm ab eo monetas [a] grandiores quadraginta dono accepiſſet, domum rediens eas œconomo dedit, in peregrinorum ac pauperum turbam erogandas. Œconomus tantæ multitudinis affluxum cernens, hoc unum cogitatione verſabat: Quid hæc inter tantos? Ita ſuo domino pecuniam retulit, negans eam tam ingenti, támque avidæ multitudini ullo modo ſuffecturam. Hîc Adrianus receptâ pecuniâ ipſemet ad infirmam plebem deſcendens ſpe in Deum erectiſſimâ, mendicorum ſingulis monetas ternas tribuit, totidem rei familiari ſervatis, œconomo ad rei miraculum obſtupeſcente & attonito. Cui Adrianus: Num tandem vides, inquit, quàm dives & liberalis ſit Dominus, cùm aliena indigentia liberaliùs eſt juvanda?

*Platina in vitis Pontif. in Adriano II. & Dominicus Tēpeſt. pag. 221. Fuit Adrianus II Pontif. centeſimus octavus anno 867.*

[a] Denarios vocat Platina, Ita is Iuliers.

Hæc Adriani animoſa largitas incredibiliter viri pretium apud omnes adeò auxit, ut cùm de Pontifice creando ageretur, certatim omnes unicum Adrianum poſcerent, quem etiam reluctantem in illud ſolium evexerunt. Epiphonema hîc apponens Auguſtinus: *Magnum,* inquit, *eſt opus eleemoſyna, fratres, ut homo faciat, quod facit Deus.* Hac quidem ratione Dei verè vicarius.

Richardus Ciceſtrenſis Præſul, inopes ad accipiendum invitabat, ſicut inſtitor emptores ſolet accerſere: Venite, à me emite; probas merces & pretio levi dabo. Interrogatus Richardus, cur ultrò accurrentes inſuper advocaret, & ſtipem non petentibus obtruderet, reſpondit: Carò emitur quod precibus emitur. Miſerias egenorum, non promerita ſpectabat. Quis non exclāmet hîc illud Claudiani: (*Surius tom. 2. in ejus vitâ.*)

*Nil negat, & ſeſe vel non poſcentibus offert.*

Hic idem Antiſtes ob eleemoſynas largiùs impenſas à fratre ſuaviter correptus eſt, adjectâ cauſsâ, proventus annuos tantæ pauperum multitudini non reſponſuros. Cui Richardus: Num rectæ rationi conſentaneum videtur, inquit, ut nos argenteis atque aureis cenemus, & Chriſtus in ſuis crucietur fame? Hac dandi benevolentiâ conſecutus eſt, ut panis unicus fauſtâ illius precatione auctus tria millia pauperum ſaturaverit; ex eodem tamen fragmentorum tantum ſuperfuerit, quo centum alii reficerentur. Arcana hæc incrementa ſæpiùs in diverſis rebus viſa, quibus Richardus benedixerat.

Ejuſdem nominis Britaniæ Rex Richardus, adeò pulchrum ac regium cenſuit prævenire preces, ut cùm die quâdam conviviali duos nobilium aulicorum attentiùs colloquentes cerneret, & unà obſervaret, quàm ii curioſè ſimul & amicè abacum argento laborantem reſpicerent, familiariter acceſſerit & quæſierit, quod colloquii miſcerent. Ad quæ illorum alter candidè: Rex Sereniſſime, ajebat, utriuſque voto tum demum abundè ſatisfaciendum dicebamus, ſi gemina illa nobiliſſima carcheſia in ædes noſtras immigrarent. Rex blandè ſubridens: Ne vobis, inquit, minùs favere videar, en vaſa hæc veſtra ſunt. Multò ſuaviſſimum eſt beneficium, quod preces antevertit.

Non ignarus ejus rei magnus Abraham, peregrinis etiam occurrens & humaniſſimè ad ſe invitans. *Hanc* inquiebat, *maximam interpretabor gratiam, ſi domini mei dignentur ad ſervum ſuum divertere. Dolorem mihi magnum inureret, tranſiri me. Ergo afferam pauxillum aquæ & laventur pedes veſtri & requieſcite ſub arbore. Ponámque buccellam panis, & confortetur cor veſtrum, poſteà tranſibitis: idcirco* (*Geneſ. c. v. 3. & ſeqq.*)

enim

*enim declinaſtis ad ſervum veſtrum.* Mox Abraham id obſequii non aliis imperans, ſed ipſemet ad armentum excurrens, quod optimum & tenerrimum videbatur, arripuit, & coquendum tulit; in promptu lac & butyrum fuit. Hanc promulſidem alii & alii miſſus ſecuti ſunt: menſæ Abraham ipſe miniſtravit. Heu quàm longè aliud carmen nos canimus; notæ ſunt voces noſtræ: *Quis diabolorum hos mendicos iterum advexit? ut omine peſſimo advenerint: quis omnibus ſatisfaciat? quis ventres iſtos impleat?*

O ſibilantes colubri, non ita canebat Abraham; beneficia contulit gratuita, preces prævenit. Deus ipſe non tantùm gemitus, obſecrationes, lacrymas, ſed etiam deſideria longè præcurrentia, benigniſſimo aſſenſu excipit. *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus,* canit Pſaltes, *præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Dum orare moliuntur & parant, jam exauditi ſunt: ipſa Deo indigentia pro voto eſt. Imitemur, & precantium verecundiam anteoccupemus.

Pſal. 10. v. 17.

*Non tulit gratis, qui cùm rogaſſet, accepit;*
*Serò beneficium dedit, qui roganti dedit.*

Ergo egenornm inopiam ſpectemus, non promerita; hominibus demus, non moribus; vicariam diſpenſatoris operam Deo navemus.

§. IV.

1ᶜ … s: Da mente ſeu intentione optimâ

DEcimus quintus Chriſtianæ largitionis modus eſt: *Da mente ſeu intentione optimâ,* alioquin & panem, & pecuniam, & promeritum perdis. Eleemoſynas ſine omni pompâ largiendas jam ſuprà demonſtratum eſt. Hîc ſacrũ illud opportuniſſimè inſtillem: Ama neſciri. Imò & læva manus tua neſciat, quid agat dextera tua. Cave videri velis: ſatis eſt, ſi videat Deus. Tu ipſe neſcias, ſi fieri poſſit, quantum elargiaris, modò Deus ſciat: *Ego Dominus,* inquit, *ſcrutans cor, & probans renes, qui do unicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum.* Non tam donum quàm donantis animum attendit Deus. Intentio prava minúſve recta vel aureos montes in eleemoſynas particulatim ſectos corrumpit. Quocirca ſtipem daturus hoc unicum ſaltem animo verſa: Domine IESV, hoc propter te dabo. Sed expedit reverà pluribus & nonnihil diſtinctis affectibus mentem in Deum erigere, hoc ritu:

Hier. c. 17. v. 10.

Affectus quibus mẽtem in Deum erigere debet ſtipem daturus.

*Memoria beneficiorum.*

1. O mi Deus, hoc pauperi tanquam tibi do, propter innumera mihi à te præſtita beneficia.

*Bonum obtinendum.*

Aut aliam NB quamcumque.

2. Domine IESV, ut patientiæ virtutem adipiſcar, hac ſtipe pauperes juvabo.

*Malum avertendum.*

3. O fons pietatis, ut ego hanc tentationem vincam, afflictionem illam ſuperem, ex iis, quæ mihi dediſti, hoc ego pauperibus impendam.

*Imitatio Patris.*

4. O pelagus bonorum, qui voluiſti nos eſſe miſericordes, ſicut cæleſtis Pater miſericors eſt, nunc ego miſericordiam tam re quàm animo egenis adhibebo.

*Obſervatio legis.*

5. IESV præceptor, qui juſſiſti nos eleemoſynis egeſtatem alienam ſublevare, tuis ego juſſibus jam ſatisfacere conabor.

*Spes præmii.*

6. O beatorum ſpeculum, qui theſauros in cælo non minuendos, qui beatam & immortalem vitam miſericordibus promiſiſti, ut tuis me promiſſis dignum efficiam, hanc pauperibus gratiam præſtabo.

*Amor Dei.*

7. O mi amantiſſime Deus, etſi ego nec majores opes, nec auctiorem gratiam, nec copioſius pręmium ſperarem, nihilominus, quia te amo, has eleemoſynas amore tui præbebo.

Omnes hi fines, ſeu intentiones bonæ, omnes ſanctę ſunt, ultima tamen omnium optima & ſanctiſſima eſt. Nec ullum poteſt eſſe dubium, quin is, qui nihil quęrit pręmii, ſed ſolo Dei amore ad rectè agendum impellitur, præmiũ præ omnibus ſit habiturus ampliſſimum. Nemo gratis Deo ſervit, nemo. A nemine autem gratis Deo præſtatur obſequium, quàm ab eo, qui intentione rectiſſimâ ſe totum ſuáque omnia, quantùm quidem poteſt, divinis honoribus impendit. Magis donantis animum, quàm donum Deus reſpicit. Intentionem præcipuè divinus oculus arbitratur. Ideo non ſolùm attende, quid eleemoſynarum tribuas, quàm quid in iis tribuendis intendas. Lucrum & fenus largitionis tuæ à tuâ intentione pendet. *Nec enim ſatis eſt,* inquit Ambroſius, *benefacere, niſi id ex bono fonte, id eſt, ex bonâ voluntate oriatur.* Quod confirmans Auguſtinus: *Date eleemoſynas,* inquit, *& ecce omnia munda ſunt vobis. Vnde autem procedit eleemoſyna? De corde. Si enim manum porrigas, nec in corde miſerearis, nihil feciſti. Si autem in corde miſerearis, etiãſi non habeas quod porrigas manu, acceptat Deus eleemoſynam.* Intentio gratas aut ingratas reddit eleemoſynas. *Da igitur intentione quam potes optimâ.*

Ambr. … Offic. c. 30. Aug. in pſ. 125. poſt init. mihi pag. 369.

## CAPVT VI.

### *Ioannes Alexandrinus Pontifex nobiliſſimum in dandis Eleemoſynis exemplar; pauperum pater.*

MELLIFLVI Bernardi ſcitum eſt: *Caſtitas in juventute, parcitas in ubertate, largitas in paupertate, martyrium eſt ſine ſanguine.* Iſtorum trium mixtura in homine uno rara eſt. Verùm ſi deſertâ terrâ pervolemus ad cælum, plurimos in illâ beatorum domo reperiemus, qui olim elegantiſſimam hanc mixturam in ſeipſis ſpectandam orbi propoſuerunt. Ex illis unicum huc ſiſto, Ioannem Alexandrinum Patriarcham, qui juvenis caſtiſſimus, qui ſibi ſed ſoli parciſſimus, qui in paupere, ſubinde etiam in paupertate largiſſimus.

*Hîc vir, hic eſt, ſibi quem deſponſum ſæpiùs audit*
Miſericordia, vir omni modo miſericordiſſimus. Res geſtas ipſius ſcripſit Leontius Neapoleos Cyprorum Epiſcopus. Nos ea hîc excerpemus, quæ potiſſimùm ad eleemoſynas ſpectant. Vt autem id ordine faciamus, ad duodecim gemmas dicenda referemus.

Ioannes Apocalypticus cæleſtem patriam ſtylo complexus: *Fundamenta,* inquit, *muri civitatis omni lapide pretioſo ornata. Fundamentum primum, jaſpis; ſecundum, ſaphirus; tertium, calcedonius; quartum, ſmaragdus; quintum ſardonyx; ſextum, ſardius; ſeptimum, chryſolitus; octavum, beryllus; nonum, topazius; decimum, chryſopraſus; undecimum, hyacinthus; duodecimum, amethyſtus.* De miſericordiâ pariter licebit dicere: Fundamenta miſericordiæ, duodecim lapides pretioſi. Ad ſingulos unum aliquid è rebus geſtis Ioannis Alexandrini explicabimus.

Apoc. c. 21. v. 19. …

Fundamenta eleemoſynæ.

§. I.

1. Liberalitas incredibilis.

PRimus lapis pretioſus, ſeu, gemma prima Iaſpis, quo *Liberalitas incredibilis* Alexandrini hujus Præſulis

Ioannes Alexandrinus ab eleemoſynis Eleemoſynarius vocatus:

ſulis conſideranda proponitur. Ioannes ab eleemoſynis nomen Eleemoſynarii ſortitus, quotidie plures quàm ſeptem millia & quingentos pauperum aluit. Quâvis hebdomade bis terve ad ægrotos reviſit, duplici nomine miſericors, qui & egenis & ægrotis ſe totum impendit. Ne autem hominibus plebeis, aut dandæ ſtipi vel minimum ſubtraheretur, ſeverè vetuit, à ſuis famulis quidquam muneris accipi. Quoniã ignis, ajebat, domos accipientium munera conſumet. Ex tunc, ait Leontius, per gratiam Dei abundaverunt domus eorum, adeò ut quidam ſalarii ſui augmentum ultro reſpuerent. Dic quibus in terris ſunt aulæ illæ aut curiæ, quæ ſe muneribus capi, quæ pretio ſe deliniri & corrumpi non ſinant?

*Res rara in terris nigróque ſimillima cygnô,*
*— albóque ſimillima corvo.*

Non ſolùm has munerum corruptelas ſuſtulit Ioannes, ſed & modum reperit, quo ſingulis hebdomadibus adiri poſſet ab omnibus, ne vel pauperrimus aures & opem antiſtitis ſibi defuiſſe conquereretur. Hinc quadam die, cùm ex more ſe publico commiſiſſet, & horis aliquot perſediſſet, ſi quis afflictorum ſuppetias imploraret, ubi nemo quidquam petiit, mœſtus & humentibus oculis receſſit. Mœroris cauſſam à Sophronio interrogatus reſpondit: *Hodiernum diem perdi, quia, qui beneficium peteret neminem habui.* a

a *Tale dictū Titi Imp. Suetonius in illo c. 8.*

2 Fiducia ſumma. Ei non defuit quod in egenos erogaret:

Altera gemma, Sapphirus. *Fiducia ſumma* hîc deſignatur. Dicere ſolebat Ioannes: Si ex omnibus orbis partibus in unam hanc urbem Alexandrinam omne hominum genus conflueret, divinæ providentiæ ac largitatis theſauros non exhaurirent. Supereſſet ſemper quod aliis atque aliis impenderemus. Non igitur multitudo pauperum largitiones noſtras faciat adſtrictiores. Non deerit unquam quod demus, modò demus liberaliter. Cùmque famuli quererentur, ad publicas erogationes venire etiam homines non decenter ſolùm, ſed & eleganter veſtitos; Ioannes ceterà mitiſſimus, ad has querelas objurgante ac atroci oculo, & voce ſeverâ: Si quidem, inquit, humilis Ioãnis, imò Chriſti diſpenſatores eſſe vultis, ſcitote animo ſimplici & ſine calliditate obediendum Chriſto, qui ita præcipit: *Omni petenti te da.* Quòd ſi turbam inopum ſcrutari curioſius velitis, nec Deus, nec humilis Ioannes hominum tam curioſorum miniſterio indiget. Si enim quæ largimur, aut mea eſſent, aut mecum nata, vel certè in alium orbem hinc aſportanda, pecuniam fortaſſis cuſtodiâ paullulũ arctiore coërcerem. At ego non mea, ſed quæ Dei ſunt, diſtribuo: divinis igitur præceptis hac in re parendum. Sin autem veſtra diffidentia putet, majorem fore pauperum quàm ſportulatum numerum, ego tam modicam & puſillam fidem probare non poſſum, multò minus ſectari. Diffidat Deo, qui Dei liberalitatem ignorat.

In famulos objurgatio;

Non ſua, ſed quæ Dei erant diſtribuebat.

3 Miſericordia, ſeu cælitũ notitia. Ioannis Alexandrini ad profuſã largitatem ſtimulus.

Gemma tertia, Calcedonius, quo *Miſericordia ſeu cælitum notitia* repræſentatur. Ioannes, ut ſuos ad prolixam largitatem exſtimularet, narrationem ingreſſus: Cùm, inquit, in Cypro agerem etiamnum juvenis annorum quindecim, nocte quadam virginem in ſomnis vidi ſupra humanum morem cultiſſimam, & ſplendore miro radiantem. Hęc ad lectulum meum conſiſtens expergefecit me. Ego territus quæſivi: Vnde & quænam eſſet, & quomodo huc ingredi auſa. At illa fronde oleaginã caput redimita, vultu hilari & ſubridens: Ego, inquit, ſum prima filiarum ſummi regis. Ergo celerrimè in genua provolutus adoravi eam. Quæ denuò: Si me, ait, benevolam habueris, ad Imperatorem ſupremum te perducam; nemini tantum poteſtatis in eum, quantum mihi cõceditur. Ergo eum cælo detraxi, & ut hominem indueret, atque homines morti addictos redimeret, perſuaſi. Et unà cum dicto ſeſe oculis ſubduxit. Ego ſpectatis fronte ac verbis virginis, Eleemoſynam ſeu Miſericordiam mihi viſam credidi. Fidem fecerunt olivæ folia in ſertum nexa. Mox igitur ſumptis veſtibus in templum abii ſummo mane. In viâ mendicus gelu rigens occurrit, cui veſtimentum meum ex ovinâ pelle dedi, & apud meipſum dixi: Hinc ſciam, num ſpecies in quiete viſa fuerit vera. Sed antequam templum ſubirem (ita veritas amet) adfuit ignoti oris homo, qui centum aureos manui meæ ingerens: Hæc frater, inquit, accipe, & prout vis, expende. Ego autem ſubſultans pæne gaudio, dum grates, ſed & ipſos aureos paro reddere, homo ſe oculis ſubtraxit. Ergo, inquam ego, veriſſimi fuerũt viſus nocturni. Ex eo tempore frequentes eleemoſynas dedi, ſed & unà cogitavi: Videamus, num promiſſis ſtet Deus, & reddat centuplum. Reverà reddidit. Sed meipſum denique reprehendens: Deſine, ajebam, benignitatem divinam velle periclitari. Non ſolùm liberaliſſimus eſt Deus, ſed & ipſa liberalitas, ſed & ipſa veritas: *da, & dabitur vobis.*

§. II.

4. Cõmiſeratio ſincera Ejus liberalitas.

Gemma quarta Smaragdus, quo *Commiſeratio ſincera* declaratur. Civis ad incitas redactus domo ſuâ furtis expilatâ, ſubſidium ab Ioanne Patriarchâ petiit. Ioannes virum miſeratus, famulo, quem eleemoſynis præfecerat, præcepit, daret ei quindecim auri libras. Famulus plus æquo ſapiens & ſuggeſtu diaboli perſuaſus, ſufficere cenſuit, ſi pro quindecim auri libris exhiberet quinque. Hæc humana fatuitas eſt, quæ ſibi tum demũ maximè videtur ſapere, cùm maximè deſipit. Eodem die opulenta vidua Ioanni donat, ſubmiſſo chirographo, quinque auri centumpondia. Admiſit; ſed unà famulos accerſens quæſiit: Quot auri libras depauperato civi dediſtis: at illi frõte perfrictâ: Quindecim, ajunt, prout juſſeras. Mox & civem vocari juſſit, qui libras quinque ſibi datas ſanctiſſimè affirmavit. Hic Ioannes viduæ chirographum proferens: Inſigniter, inquit, in meum & veſtrum caput mentiti eſtis. Exquiret à vobis Deus decem illa centumpondia Si namque vos quindecim auri libras dediſſetis, ut juſſeram, quindecim auri centũpondia recepiſſemus. Quod ut certiſſimum haberent, viduam accerſens: Dic mea mater, inquit, dic candidè, num hoc ipſum, an plura Chriſto largiri voluiſti? Mulier trepida: Sanctiſſimè affirmo, inquit, me ſcripſiſſe quindecim centumpondia. Cùm verò ſcriptum hoc relegerem, decem deleta reperi. Ita divinæ voluntatis eſſe arbitrabar, non ultra quinque mittere. Feminâ dimiſsâ famuli jam apertiſſimè rei ad Patriarchæ pedes provoluti, veniam gemini delicti, fraudis & mendacii, ſubmiſſiſſimè rogârunt, polliciti, nil tale unquam in poſterum facturos. Dedit veniam Patriarcha eleemoſynis accenſendam.

5. Accuſatio ſui. Paupertatem veluti matrẽ ſibi chariſſimã habuit.

Gemma quinta, Sardonyx, quo *Accuſatio ſui* exprimitur. Adeò pauperes amavit Ioannes, ut etiam paupertatem veluti matrem ſibi chariſſimam habuerit: Hinc cubiculum illius nullo peripetaſmate veſtitum, nihil præ ſe tulit ornamenti, lectulus vilis & operimento longè viliori, & quidem lacero tectus, conjunctiſſimam Patriarchæ paupertatem eſſe teſtabatur. Nihil hic ſerico, nihil holoſerico, nihil ebori aut auro loci fuerat. Hoc ubi civis opulentus audiit, veſtem, ſtragulam, quæ triginta ſex philippeorum æſtimabatur, dono miſit, & unà petiit, dignaretur ſui meminiſſe, & eâ veſte uti. Ioannes, ne viri preces aſpernaretur, ad proximam quietem operimentum illud admiſit, ſed nocte pæne totâ ſecum litigans: Quid quæſo, ajebat, de te ſpargeretur famæ? En, dicent, humilis Ioannes (hoc ſibi nomen dare ſolitus) pallio triginta ſex philippeorum tegitur, & Chriſti fratres moriuntur frigore. Quanti ſunt modò, qui gelu torpent, & dentibus crepitant, quorũ congelati pedes adhærent ferro? quanti ſunt

ſunt modò, qui tegete dimidio malè teguntur, nec pedes poſſint extendere, centonum inopiâ? Quot impranſi & incenati ſub dio dormiunt, algû & fame cruciati? Quot vellent ſaturari olerum foliis, quæ mea culina evomit ad fimetum? Quot cuperent panem garo aut decocto, tingere, quod meis cocis proluvies eſt? Quot ægrotorum id ſolùm vini expeterent, quod temerè in cellâ meâ effunditur? Quot peregrinorum hac ipsâ horâ in hac ipsâ urbe hoſpitiis excluſi, & pluviis forſan madidi, miſerè cubant in foro? Quot inopes familiæ totis menſibus, aut annis, nec vinum, nec carnes, nec oleum, nec piſces guſtant? Quanti ſunt, quibus idem & unicum æſtate ac hieme indumentum eſt? Tu verò, mi humilis Ioannes, & vinum dominicum bibis & pretioſos piſces devoras, & in cubiculo commodiſſimo ſtertis: inſuper nunc etiam ſtragulo triginta ſex philippeorum te calefácis. Tu ita vivis, & tamen cælum ambis? Cave aliquando audias, quod epulo ille. *Recepiſti bona in vitâ tuâ*; pauperes *verò malâ*; nunc illi ſolatiis, tu tormentis afficeris. Benedictus ergo Deus; humilis Ioannes nullâ umquam deinceps nocte, ſub veſte hac dormiet: ſatius eſt eam vendi, & ducentos pæne pauperes inde amiciri. Mane proximo donatum tegumen venale juſſit proponi. Quo comperto is ipſe emit, qui priùs donarat, & Patriarchæ rurſus obtulit. Cùm iterum venale cerneret, emit iterum, iterúmque ſubmiſit dono, enixè rogans dignaretur illud in ſui memoriam retinere. Cùm autem tertiò id factum eſſet, Ioannes gratulabundus: Videamus, inquit, quis noſtrûm duorum prior fatigetur, ego vendendo, an emendo ille.

*Luc. c. 16. v. 25.*

*Tunc enim, ait Leõtius, quatuor rachanella (viles tunica) philippo vendebâtur ſic 144. pauperes tegi potuerũt 36. philippeis.*

Hac ratione, inquit Leontius, opulentum civem illum ſuaviter vindemiabat beatiſſimus Antiſtes, paullatim multa in pauperum uſus auferens. Addit, hæc pulchra & Chriſtiana eſſe artificia, quibus divites, ſed avari & immiſericordes humaniter, nec adeò inviti ſpoliantur: ſic enim animus illorum ſenſim ad meliora ducitur. Ioãnes Eleemoſynarius harum artium profectò gnarus in pauperum uſum omnia derivabat, tantò acerbiùs ſeipſum accuſans, quantò humaniùs adjutos pauperes cupiebat.

6. Erubeſcentia ſancta,

Gemma ſexta, Sardius, quo *Erubeſcentia ſancta* demonſtratur. Quamvis Ioannes eleemoſynas innumeras in egentium greges effuderit, nihilominus ſanctiſſimum virum ſic pudebat, quaſi parciùs dediſſet. Nec tantũ ipſe munificentiæ ſacræ ſtudioſiſſimus fuit, ſed & alios creberrimè propoſitis Sanctorum exemplis ad eandem exhortatus eſt. In eum finem res geſtas Divorũ evolvens, de beato Serapione Sindonio [a] hæc legit. Tota Serapionis ſupellex, omnes illius divitiæ fuerunt tunica, pallium, & euangeliorum codex. Rogatus igitur ſtipem Serapion, cùm aliud quod daret, non haberet, pallium ſuum dedit. Paullò pòſt occurrit alius torpens frigore, huic tunicam ſine multâ deliberatione exutam hilariter injecit. Iámque ipſe nudus, humi conſidens, velut in globum complicatus, libellum evangeliorum manu tenuit ac legit. Hunc prætereuntium quidam interrogans: Quis te tuis veſtibus ſpoliavit Abba? Serapion libellum manu protendens: Iſte, inquit. Perinde ſi dixiſſet: Evangelium veſtitos ſpoliat, ut nudos veſtiat. Sed brevî & ipſum etiam evangelium vendidit, ne deeſſent eleemoſynæ, quas pauperibus porrigeret. Diſcipulus Serapionis cernens magiſtrum carere libro, Abba, inquit, evangelium ubi eſt? Cui magiſter: Crede mihi, fili, ait, illum ipſum, qui dixit mihi, *vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, illum ipſum, inquam, vendidi, & illis dedi, ut die judicii tantò abundantiorem habeamus fiduciam. Cùm autem vidua Serapionem, jam rebus omnibus exutum adiiſſet, ſuam & filiorum famem deplorans. Mulier ne trepida, inquit Serapion, neque animum abjice. Ego quidem à fortunis inops, quod porrigam, non habeo. Sed en, meipſum do; vende me, cui placet. Volenti non fit injuria. Venditus eſt, & quidem Græcis hiſtrionibus, quos brevi tempore Chriſtianis ſacris imbuit. Hæc ubi legiſſet Ioannes, in uberes lacrymas ſolutus, obſtupuit tam effuſum dandi ſtudium in Serapione. Mox œconomos ſuos convocans, & lecta ſibi, eadem ipſis prælegens: O philochriſti, ait, quid homini prodeſt ſanctorum Patrum actiones commemoranti, & nunquam imitanti? Mihi credite, in hunc uſque diem opinabar non ſpernendam æris ſummam in pauperes erogaſſe: at nihil feci, nihil erogavi. Nondum tunicam, nondum veſtes meas omnes, nondum libros meos, heu nondum meipſum vendidi, quod Serapion Sindonites fecit. En ſanctam viri erubeſcentiam, qui ſuas cum aliorum eleemoſynis comparans, ſe nihil dare ingemiſcebat.

Ejus pudor in erogandis eleemoſynis & ad eas exhortatio.

*a Idem Sindonites.*

*Matt. c. 19. v. 21.*

## §. III.

7. Tolerantia conviciorum,

GEmma ſeptima, Chryſolitus, quo *Tolerantia conviciorum* adumbratur. Qui liberaliùs ſtipem effundunt, in ora hominum abeunt, & ſæpe conviciis non levibus proſcinduntur. Et horum quidem judicio habenas largitati nimiùm laxat, iſtorum opinione nimiùm contrahit; alii eum non è ſuo dare ſuſpicantur. In fabulas & ſermones ſe mittit, qui ſeſe totum in pauperes profundit. Nihili hæc facienda, & alto animo deſpicienda. Ioannes cuipiam eleemoſynas petenti decem nummos æreos dari præcepit. At iſtud viſum eſt mendicanti nimis exiguum. Propterea homo nefarius contumelias & probra in os optimi Pontificis jecit, illique palàm maledixit. Famuli Ioannis ad invadendum conviciatorem & probè contundendum paratiſſimi, jam manus & pugnos expediebant. Sed reprimens eos Patriarcha, & graviter objurgans: Sinite eum, ajebat, loquatur quod vult. Ego jam annum ago ſexageſimum, injuriis Chriſtum plurimis affeci, quas ille beneficiis penſavit, & jam conviciolum in me ab homine dictum non tolerem? Et ad œconomum verſus: Tu inquit, totam crumenam ei porrige, ut quantum placuerit, ipſe accipiat, & errorem noſtrum ſic corrigat. Ita non eleemoſynas tantùm largiſſimè dedit, ſed regeſtas pro iis contumelias patiẽtiſſimè tulit.

Et contumeliarũ & probrorũ.

8. Conſtantia beneficentiæ.

Gemma octava, Beryllus, quo *Conſtantia beneficentiæ* commendatur. Ioanni quidam civium ſeptem auri libras & dimidiam obtulit, ſed unum atque unicum ſubmiſſis iteratione crebrâ genibus rogavit, filium ſuum, quem reducem ſperaret ex Africâ, Deo precibus commendaret. Recepit hoc ſeſe facturum Patriarcha, quod & fideliſſimè præſtitit: nam auro ad ſacram menſam repoſito, ſtatim ſuper eo, ut Leontius loquitur, ſynaxin fecit perfectam, Deum impenſiſſimè rogans, ut parenti filium ſalvum redderet & incolumẽ. Poſt dies non multos filius moritur, & navis frangitur, & quidquid inerat mercium, mari ſepelitur. O parentem multò quàm afflictiſſimum! ſeptem auri marcas pro filii ſalute obtulit, ſed filium nihilominus amiſit, navim & unà merces omnes perdidit; fratrem dumtaxat cladis nuntium recepit. Heu fruſtra ſpes omnis, fruſtra fuerunt tam dites eleemoſynæ. Hæc omnia ex ordine relata ſunt Ioanni, qui gravi triſtitiâ percuſſus, extinctum præcipuè filium ingemuit. Iámque ignarus quid ageret, hoc unum reliqui habebat, Deum precari, ut aliquid ſolatii mœſtiſſimo parenti affunderet. Erubuit certè ſanctiſſimus Patriarcha, tam nihil ſuas preces eviciſſe apud Deum. Quare nec adire virum, nec eum ad ſe accerſere ſuſtinuit; hoc unum ei dici curavit, nequaquam animum deſponderet, omnia in orbe æquiſſimo Dei judicio ſic temperari, ut nihil non cedat in noſtram utilitatem, nobis etiam ignorantibus. Ita proborum conſtantiam exerceri, num in

adver-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

adverſis imperturbati gratias Deo meminiſſe nôrint. A Nocte proximâ, orbus filio pater in ſomnis vidit Patriarchæ habitu dicentem ſibi: Vt quid mœrore diſſolveris? an non rogaſti me, ut vitam filio tuo exorarem? En ſalvus eſt filius tuus; vivit, crede mihi: ſi diutius inter mortales egiſſet, homo impius evaſiſſet. Iacturam navis ne ſentias. Nam niſi aurum obtuliſſes in ſtipem, inſuper & fratrem & omnes illius comites amiſiſſes. Surge igitur, & Deum lauda, qui fratrem tibi reddidit, & filium ad ſe aſſumpſit. Vbi ab hoc viſo evigilavit, triſtitiam pæne omnem abſterſam ſenſit. Et mox Patriarcham accurrens, ad pedes illius accidit, narravitque, quid præteritâ nocte hauſiſſet ſolatii. His auditis Patriarcha in amantiſſimas voces erumpens: Deus, inquit, ô miſericordiſſime Deus, qui ſperantes in te non deſeris: qui hominum etiam viliſſimorum preces exaudis, qui nullas eleemoſynas ſinis eſſe indotatas. Et converſus ad parentem: Tu verò, inquit, vir optime hanc gratiam B non meis precibus, ſed tuis eleemoſynis adſcribe, quas liberaliſſimus Deus nunquam vult carere præmio.

9. Fides vivaciſſima, Gemma nona, Topazius, quo *Fides vivaciſſima* notatur. Audiit Ioannes adoleſcentem mortuis parentibus derelictum orphanum. Ejus tutores rem ita geſtam Pontifici narrarunt. Pater adoleſcentis in fatali lectulo jam morti proximus accerſens filium: En morior, inquit, & decem auri libras relinquo. Tu verò, fili, dic, an malis hoc quidquid eſt auri capere in hæreditatem, an virginem Dei genitricem aſſumere in matrem? adoleſcens promptè ac liberè: Mi optime pater, ait, præ auro hanc matrem centies malo. Ita parens teſtamento dixit pauperes ex aſſe hæredes, & filio nec obolum quidem reliquit. Hinc iuvenis cum paupertate plurimùm luctatur, nec tamen ædem Virginis matris deſerit. Hæc audiens Ioannes bonâ fide narrari, mox tabellionem accitum juſſit in vetuſtis C membranis, priſco charactere, diluto atramento ſcribi teſtamentum cujuſdam Teopenti nomine, ſe autem & juvenis parentem nominari conſobrinos. His confectis, inquit, iuvenem adi, ſcriptum monſtra & dic: Cùm Patriarchæ cognatus ſis, cave genus tuum dedecores egeſtate. Quare has illi membranas exhibe interim ego cauſſæ tuæ non deero. Ritè omnia quæ juſſus fuerat, perfecit tabellio. Ita juvenis cum membranâ veteri ad Patriarcham adductus, ab eo ut conſobrini filius humaniſſimè exceptus, & ſimul eâ pecuniæ ſummâ donatus eſt, ut honeſtiſſimum contraxerit matrimonium. Hunc dandi modum excogitavit Ioannes ut juvenis ſine grandi verecundiâ plurimum poſſet accipere, & ſimul humana doceretur conſternatio

Judith. c. 6. v. 15. neminem in Deo ſperantem deſeri. *Quoniam Deus non derelinquit præſumentes de ſe.*

§. IV.

10. Spes firmiſſima. GEmma decima, Chryſopraſus, quo *Spes firmiſſima* indicatur. Quemadmodum Iobi, ita & Ioannis ſpes firma in Deum rebus adverſis explorata eſt.

Joannis Alexandrini in adverſis ſpes firmiſſima: Nam ſanctiſſimo Patriarchæ in mari Adriatico tredecim naves naufragio perierunt, quarum ſingulæ præter veſtes & pecuniam, decem millia modiorum frumenti vexerant. Iactura hæc triginta quatuor auri cẽtumpondiis æſtimabatur. Nautæ qui evaſerant, vix Alexandriam ingreſſi, quamprimùm ad templum velut ad aſylum cõfugerunt. His Patriarcha chirographum ſuum miſit in hæc verba conſignatum: *Dominus dedit,*

Job c. 1. v. 21. *Dominus, ut voluit, abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictũ.* Exite, fratres, nil malè veriti. Dominus ſollicitus erit de craſtino. Die altero venerunt qui Patriarcham ſolarẽtur propter tot navium tam grandem jacturam. At conſolatores ſuos ille præ-A occupans. Nequaquam, ô filii, ait, ob amiſſas naves triſtemini. Nam, credite mihi, humilis Ioannes in culpâ eſt. Cenſebam ego me multum eleemoſynarum dare, hinc extollebam animum. Ideo juſtiſſimus Deus hæc in nos permiſit. Huic ulceri hoc congruit malagma. Diſcamus in re nullâ nos efferre. Verumtamen, fratres, etiamnum eſt ille ipſe Deus, qui Iobo valetudinem & amiſſa omnia reſtituit, is etiam egeſtatem noſtram ſolabitur: ſperemus in Domino, & promiſſis ejus fidamus. Ita conſolatores ipſi, majori ſolatio quàm attulerant, affecti ſunt. Nec multum temporis abiit, cùm benigniſſimus Deus acceptum damnum geminato proventu reſarſit. Nemini quidquam eleemoſynarum perit, ſpes non confundit, quis enim *ſperavit in* Eccli. c. 2.
*Domino, & confuſus eſt.* v. 11.

Gemma undecima, Hyacinthus, quo *Æmulatio ſancta* oſtenditur. Si quam Ioannes audiiſſet in eleemoſynas pronum, mox optimâ æmulatione accenſus illum B ipſum ad ſe vocans & familiariſſimè interrogans: Quæſo te, ajebat, quâ ratione iſtam de pauperibus bene merendi voluntatem hauſiſti; num ipſe tibi vim intuliſti, an eò naturâ & ſponte tuâ duceris? Quorumdam verecundia tegebat, quod quærebatur: alii candidè ac ingenuè, quod res erat, fatebantur. Fuit inter hos, qui ſincerè diceret: Venerabilis Pater, ego parum boni facio, nec multum ſtipis largior; in eam autem conſuetudinem ſic veni. Homo eram rigidus & immiſericors, ſed damno meo cœpi ſapere. Nam ea me cogitatio ſæpiùs fatigavit: ſi dares eleemoſynas, divina liberalitas id abundè rependeret. Statui ergo diebus ſingulis quinque nummos æreos egenis dare. Vix iſtud orſus ſum facere, cùm ſatanas tragulam injiciens hæc talia ſuggeſſit: Quid familiam ære ſpolias? hoc pretio panis, hoc olus, aut carnium aliquid emi potuiſſet. Ita cœpta pertexere deſtiti, non aliter ac ſi offam è faucibus filiorum raperem. Non tamen mihi hoc C placere potuit. Nam vidi evidenter à tenacitatis vitio me vinci. Quapropter famulo meo dixi: Me neſciente ſingulis diebus quinque nummos æreos furare, & egenis tribue. Nam ego trapezita ſum Domini. Famulus in hanc rem induſtrius paullatim cœpit furari decem nummos, quos optimâ fide pauperibus dedit. Cùm autem animadveret magis ac magis rem familiarem augeri, cœpit jam etiam liberaliùs de meo in uſus pauperum ſublegere. Ego admiratus rei domeſticæ inſolita prorſus incrementa: Profectò, inquam, quinque nummi facultates noſtras non minuunt, ſed augent incredibiliter. Tu ergo des in poſterum decem: Ad iſta famulus ſubridens: Domine, inquit, furtis nimis feliciter precare: nam audacior fur ſum ac putes. Vt ſcias here vix hodiéque panis in cœnam eſſet, ni largiùs egenis dediſſemus; ſi ullus furum ſanctus eſt, ego ſum. Et unà faſſus eſt, quantum expendiſſet me ignorãte. Hoc ſervi mei tam benefico ingenio in eam D conſuetudinem adductus ſum, ut inopiæ alienæ jam libentiſſimè ſubveniam. His mirificè delectatus Patriarcha, & ad ſanctam æmulationem impulſus: Crede, mihi, ait, in rebus geſtis Patrum admiranda legi, tale aliquid legiſſe vel audiſſe non memini.

11. Æmulatio ſancta. Hominum erga pauperes liberaliũ ſancta ejus æmulatio.

Gemma duodecima, Amethyſtus, quo *Finis feliciſſimus* indicatur. Ioannes jam maturus cælo teſtamentum holographum conſcripſit, hoc modo. 12. finis feliciſſimus.

Ioannes ſervus, Dei gratiâ ſacerdos. Tibi, DEVS, gratias ago, quòd me moriente non niſi tremiſſis unus ſuperſit. Cùm ungerer in Epiſcopum Eccleſiæ Alexandrinæ, octoginta circiter auri centumpondia inveni, pecuniam ab amicis collectaneam innumeram accepi. Quia verò hæc omnia Dei ſunt, ſupremi Regis, non diſtuli, quæ Dei erant, Deo dare. Vnde hunc ipſum, qui remanet, tremiſſem, his dari jubeo, quibus ut Deo benefacere ſtudui. Ejus teſtamentum;

Hoc teſtamentariæ tabellæ præſulis, qui non ſolùm innumerabilem argenti & auri copiam in egenos ſparſit, ſed inſuper tot illis domos, tot xenodochia, noſocomia, cœnobia, gerontocomia è fundamentis eduxit. Non malè dixerimus, ſibi aliiſque cælum ædificavit. Sed

*Virgil. l. 1. Æneid. circa med.*

*Ante diem clauſo componet veſper olympo,*

quàm omnes Patriarchæ Ioannis eleemoſynas enarrem. Hi *ſunt illi viri miſericordiæ, quorum pietates non defuerunt. Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt, & nomen eorum vivit in generationem & generationem.* Quod jam in funere Ioannis cœpit eluceſcere. Nam eo loco, ubi ſepeliendus fuit, duorum Epiſcoporum cadavera jacebant. Cúmque ſanctiſsimus Patriarcha ad latus eorum tertius eſſet apponendus, duo Epiſcopi jam pridem mortui ceſſerunt loco, & honoris cauſsâ Ioannem receperunt medium. Quo miraculo ſatis teſtati ſunt, quanti eſſet in Dei oculis hic vero nomine *Eleemoſynarius.* Miraculi teſtes, populus Alexandrinus, qui ad ſupremos honores ſui præſulis affluxerat. Ipſo autem die quo Ioannes mortem obiit, viſus eſt à duobus religioſiſsimis viris Alexandriæ ab ingenti turbâ pauperum, qui omnes oleæ ramos præferrent manu, deduci à virgine oleagino ſerto redimitâ, quæ radiis ſolem ſuperaret, excipi & introduci ad ſummum Imperatorem, uti ea juveni promiſerat ſe facturam. Sed & oſſa Ioannis in tumulo locata, oleo fluxerunt ad reſtaurandam plurimorum ſanitatem. Diceres; mare olei effudit Patriarcha in tot pauperum greges, quos ſuis eleemoſynis enutrivit. Idcircò *eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia ſanctorum: & erit illi gloria æterna.*

*Eccli. c. 44. v. 10. & 14.* — Et mors feliciſsima. — *Eccli. c. 31. v. 10. & 11.*

Bernardi dictum repeto: *Caſtitas in juventute, Parcitas in ubertate, Largitas in paupertate, martyrium eſt ſine ſanguine.* Conjuncta hæc habuit Ioannes; duodecim gemmis, quas nominavi, ornatus fuit; nitidiſsimum miſericordiæ ſpeculum effulſit. Hoc ſpeculum, quæſo, in omni domo appendatur quotidie inſpiciendum. His gemmis duodecim, ô Chriſtiani, ambas manus & omnes digitos & ipſam frontem veſtiamus. Tanti viri æmulatione accendamur, & illud creberrimè cogitemus, quod is diſcipulo ſuo Zachariæ diacono dixit. Viderat Ioannes pauperi ſtipem poſcenti à Zachariâ, cùm aliud ad manus non eſſet, cruculam dari argenteam. Factum Ioanni mirificè placuit, & mox ad diaconum: Zacharia, inquit, eſto miſericors, & nec in vitâ nec in morte deerit tibi Deus. His ego verbis conceptiſſimis omnes, qui hæc lecturi, aut legentes audituri, ſed & eorum & ſingulos compello: Eſto miſericors, & nec in vitâ, nec in morte deerit tibi Deus, illud in clauſulam appono; pecuniæ, quas retines, pecuniæ ſunt; cùm in egenos tribuis, gratia ſunt, gloria ſunt, cæleſtes theſauri ſunt.

Pecuniæ in egenos diſtributæ ſunt cæleſtes theſauri.

## CAPUT VII.

### *Eliſabetha Thuringiæ Princeps illuſtriſſima in erogandis Eleemoſynis idea; pauperum mater.*

*Parte 1. c. 6. Gazophil. Eccleſ. c. 11. v. 1.*

ECCLESIASTES conſilium, jam ſuprà explicatum, ſuggerens: *Mitte, inquit, panem tuum ſuper tranſeuntes aquas: quia poſt tempora multa invenies illum.* In agrum, quem uberes aquæ irrigant, ſemen tuum ejice, & ſegetem recipies copioſam. Interpres dicti Hieronymus: Ad eleemoſynam, inquit, cohortatur Eccleſiaſtes: ſicut enim qui ſuper irrigua ſeminat, ſementis fructum expectat: ita qui largitur egentibus, non ſerit ſeminis granum, ſed panem ipſum ingenti fœnore recipiendum.

Verùm alia non minùs commoda explicatio eſt ſententiæ. Committe panes tuos navibus, ut illos per maria tranſportes, & ſuo tempore pro panibus recipies aurum. Hæ naves ſunt pauperum manus. Nam quemadmodum navigiis pretii minoris merces in alias terras exportantur, ut cum pretioſioribus commutentur; ita egenorũ manibus panis, pecunia, veſtis, & quidquid harum mercium eſt, in cælum defertur, ut illarum vicem aurum & gemmæ recipiantur. Hoc genus mercaturæ Chriſtus juveni ſuadens: *Omnia,* inquit, *quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo.* Pauperes velut naves ſtipe onera, & in cælum devehent ſibi commiſſa theſauris certiſſimis mutanda. Hæc navigia naufragiorum ſunt ſecuriſſima, numquam non ſalvis mercibus appellunt portum. Tutiſſimam navigationem iſtam Chryſoſtomus commendans: *Omnia,* inquit, *faciamus, ne alibi ſimus egeni. Nam quæ utilitas, in alienâ regione multas divitias relinquere, in patriâ neceſſariis carere? Itaque oro feſtinemus, dum adhuc tempus eſt: Securè illuc transferimus, & in theſauro indeprædabili reponimus, quæcumque per pauperum manus præmittimus.*

*Luc. c. 18. v. 22.* — *Chryſ. hom. 49. in c. 14. Geneſ.*

Id certè ſedulò fecerunt, quicumque ſibi ſapere voluerunt. Hinc Iobi, hinc Ioannes Eleemoſynarii, quos patres pauperum rectè dixeris. Hinc Lydwinæ, hinc Eliſabethæ, quas pauperum matres non immeritò appellaris. Quia verò de Iobo, quia de Ioanne Eleemoſynario, pauperum non ſolùm patrono, ſed & patre diximus, jungamus illi matrem pauperum Eliſabetham, & illius in egenos liberalitatem propriùs inſpiciamus.

§. I.

*E volumine 1. Bavariæ ſanctæ compendio excepta.*

ELiſabetha Andreæ Pannonum Regis filia, Ludovici, qui Thuringiæ & Haſſiæ Landgravius, conjux, à primis annis in egenos non prona ſolùm, ſed effuſa fuit, *quia ab infantiâ crevit* cum illâ *miſeratio.* Nam etiamnum infantula majoribus, quàm pro ætate, curis fuit dedita, & cælo affixa. Hinc victu non tantùm ſobrio vitam toleravit, ſed & in cultu corporis eam modeſtiam adhibuit, quam nemo niſi ſanctus invideret. Muliebrem mundum rata pudicitiam eſſe, virtute ſemper, quàm veſte fuit conſpectior.

*Iob. c. 31. v. 18.* — Eliſabethæ modeſtia in cultu corporis.

Venerant à patre Eliſabethæ Legati, cùm Ludovicus maritus ad illam viliùs veſtitam: Doleo, ait, ſoror, tibi ad proceres tuorum populareſque proditura non eſſe veſtem lautiorem. Deus, ait illa, aſpirabit decorem. Factum. Illis ipſis diebus Eliſabetha ad mẽſam maximâ nobilitate frequentatam vocabatur. Iamque eunti in ipſis gradibus per quos ad triclinium erat deſcendendum, ultimæ ſortis mendicus obſtitit, qui Reginæ open implorabat. Nec tempus, ait illa, nec res eſt, quam tibi in præſens largiar. Vehementiùs & magnis clamoribus urgenti pallium quo tegebatur, nobile ac regium projicit. Mendicus pretioſam ſtipem cõtinuò tollit, & oculis ſe ſubducit. Convivis inde præſtolantibus, dapifer principi renuntiat occupatam cum mendicabulo dominam, ſuperiorem illi veſtem porrexiſſe. Ludovicus ad conjugem non ſine ſtomacho regreſſus: Equando tandem, inquit, ad prandium es ventura? & ubi pallium eſt, quo uti ſoles? Illa, paratam ſe venire; pallium illic è clavo ſuſpenſum eſſe. Intellectum eſt luculento prodigio eam veſtem à Chriſto acceptam & repoſitam.

*Ita uxorem compellare ſolitus.* — Erga egenos munificentia.

Porrò Eliſabetha, abſente viro, id unum egit, ut omne ſtudium in egentes Chriſti greges conferret, haud ignara, Deum ſibi omnino præſtita interpretari, quæcumque miſeris præſtitiſſet. Nullum illi comitatum turmis pauperum glorioſiorem credidit, quibus etiam ancillari pro magnifico habuit; leproſorum abo-

In eoſdem ſtudium.

abominandam ſcabiem avidiùs tractavit quàm gemmas & uniones. Tantâ in omnes egenos erat pietate ut ex illâ genitos crederes. In ſingulis reſpicere ſolebat Numen, cujus majeſtatem ſubinde ſub centonibus latuiſſe magnis documentis erudimur. Itaque xenodochia peregrinis, noſocomia ægrotis, pædotrophia pupillis, gerontodochia ſenio confectis ſtruxit & dotavit, omniáque ſua vectigalia in hanc unam curam convertit. Annonæ pretium inopia frumenti accenderat, multos fames enecârat; occurrere ſtudebat pro viribus Eliſabetha publicis malis. Omnia horrea aperuit, inde per claſſes deſcriptis quotidie dimenſum dedit: nec minorem curam ægrorum habuit ad quos diebus ſingulis reviſit. Nullius corpus tam ulceroſum fuit quod illa regiis manibus non contingeret; nulla ſcabies tam ſanioſa, quam illa non abſtergeret; nulla lues tam infamis & fœda, à quâ illa abhorreret: quorum pedorem ancillantes puellæ fugerant, domina ferebat. Pupillis ſingularem curam impendit, atque ex illis olentiſſimum quemque & maximè miſerabilem præ ceteris officioſiùs curavit, fovit, brachiis geſtavit, gremio & ſinu recepit; non immemor hujuſmodi Lazaros Deo maximè cordi eſſe, quos tantò ſecuriores æternæ felicitatis vivere nôrat, quantò minus hîc de præſentis vitæ gaudiis guſtarent.

Erga ægros cura.

Præter valetudinaria & tot domos pauperibus aſſignatas in ſingulos dies è mendicorum tribu nongentos paſcebat, iis non numeratis, quos per omnem ſuam provinciam, & illam quidem ampliſſimam abſens nutriit in grandi annonæ caritate. Nec imperaſſe aliis miniſteria pauperum contenta, ipſamet coram adibat, inſpiciebátque an ritè & ordine omnia adminiſtrarentur. Erat hæc princeps & domina inter famulos prima, quæ menſam apponeret, cibos inferret, potum porrigeret, curarétque ne quid deſiderare poſſet aliena egeſtas. Nudos inſuper amiciebat, & cùm res ac nummi deficerent, ipſa ſuas gemmas, pepla, pallas comparando pretio vendebat. Ipſa denique funera Eliſabethæ benignitatem ſentiebant. Telam & veſtem linteam, quâ cadavera involverentur, ſollicitè dabat; ſumptuoſas in exequiis divitum pompas prohibebat, ut eſſet, quod egenis tribueretur, defunctis utilius eſſe dictitans, eorum ſumptibus vivos tegere, quàm ſepeliendis cineribus tam multum inanis ſuperbiæ circumdare. Verbo dicam: Eliſabetha pauperes omnes vigilantiſſimis curis, liberaliſſimis ſubſidiis, amantiſſimis obſequiis ut ſuos filios fovere nunquam deſtitit. Et tunc maximè in eorum commoda effuſis ſtudiis properavit, cùm Princeps Ludovicus conjux in Apuliâ apud Imperatorem ageret.

In grandi annonæ caritate pauperibus alimoniam,

Et mortuis linteamina ſollicitè dabat.

§. II.

SEd huic virtuti (ut ſolet) non defuere Zoili: Nam ubi Landgravius maritus ex Apuliâ rediit, mox œconomi convolare, querelas ingerere, Eliſabetham Principem accuſare, imò & ſignatis tabulis, explicatiſque domeſticis rationibus docere, ampliſſimos cenſus erogationibus intempeſtivis effundi, mendicorum numerum ſine ratione augeri. Audiit hæc pius Princeps, & ore renidenti: Sinite, ait, ſororem noſtram, ut cœpit benefacere; modò mihi arces ſuperſint incolumes. Victus nobis non deerit, ſat ſcio, quamdiu illam egenis opitulari permiſerimus. Digniſſimum Chriſtiano Principe reſponſum.

In eam invidia.

Interim Ludovicus militiam ſacram profeſſus in Orientem cum exercitu movit, in itinere rapidâ febri extinctus. Auditâ morte conjugis Eliſabetha cancellatis utriuſque manûs digitis: Ergóne, ait, frater meus occidit? Mihi ergo ſimul cum illo omnia mundi gaudia extincta ſunto: omne reliquum vitæ tempus tranſcribam Deo.

Auditâ conjugis morte propoſitũ & conſtantia,

Primum hoc telum fuerat, quo propter conjugis è vitâ diſceſſum ſauciata eſt hæc pauperum mater. Mox alterum in eandem longè atrocius immiſſum eſt. Et hæc eò narramus, ut conſtet eleemoſynas etiam multò largiſſimas nõ ſemper præſenti præmio, quinimò nonnunquam meris calamitatibus remunerari. Atqui abundè ſatis præmii eſt in hoc orbe, conſtans inter calamitates patientia. Quam Deus Eliſabethæ in hoſtimentum tam copioſæ ſtipis liberaliſſimè contulit. Audite obſtupeſcenda.

Ludovico mortuo Henricus frater, malis aulæ corvis ſuadentibus, bona omnia invaſit; caſtra, arces, oppida occupauit, relictã à fratre viduam fortunis omnibus exutam inde præcipitem exturbavit. Ita regia mulier ex arce ſuâ, cum paucis pediſſequis, omni ſuorum ope diſtituta in ſubjectum arci oppidum deſcendit, quò diverteret incerta. Et quæ paullò antè tot peregrinis hoſpitia, tot ægris valetudinaria, tot miſeris domicilia conſtituerat, jam ipſa, quam ſubiret domum, non habebat. Proximam inde cauponam ingreſſa, noctis illius partem traduxit, dum Religioſus cœtus Sancti Franciſci ad preces matutinas ſurgeret. Ad hanc ædem mox illa ſeſe contulit, rogávitque chori præſides, vellent Ambroſianum hymnum, *Te Deum laudamus*, ſuo nomine cantare, quòd oblata ſibi eſſet occaſio paupertatis cum Chriſto experiundæ. Tantum abeſt, ut indignatione mota, mortalium ulli, quamvis injuriis grauiſſimis provocata, malè precaretur. Interim tectis omnium excluſa, quòd paſſim cives omnes indignationem Henrici formidarent, ad primam redire cauponam auſa non fuit. Intereà liberi parvuli ad eam ex arce deportati ſunt; quo autem loco matrona planè miſerabilis eos reponeret, non habebat. Poterat hæc calamitas vel maſculum quemvis animum frangere; pectus tamen Eliſabethæ non fregit. Illa tot ærumnis afflicta, velut depreſſa palma exſurrexit altior. Igitur expulſa undique ad ſacerdotis ædes confugit. Inde in amplam hoſpitis domum perducta, tamen ferè extra domum habitavit, ſiquidem cum omni familiâ in ultimum tecti angulum retruſa, in cauponis ſtabulum coacta eſt immigrare. Neque hîc modus finiſque afflictiſſimæ principis fuit. Ingreditur neſcio quam oppidi viam cæno alto voraginoſam & anguſtam: occurrit hîc anus, quam Eliſabetha olim felix infelicem ſtipe aluerat, ægram medicamentis foverat, aliiſque beneficiis affecerat. At verò hæc vipera non modò Reginæ viâ non deceſſit, ſed impulſam in luti medium ejecit. Vbi regia matrona hinc emerſit, & veſtem & ſeipſam lavare debuit. Nec tamen adverſus hanc Hecaten indignata, ſuam ipſa fortunam mitiſſimo riſu digerebat.

Vidua omnibus bonis à fratre exuitur;

*Quem non niſi lætis rebus gratulabundi modulamur.*

Nec ideo animum dejecit,

Tam exercitatam feminæ patientiam non paſſa eſt Dei benignitas immunem abire, ſed cæleſtibus eam viſis, diviniſque deliciis inundans ſæpius ſolata eſt. Hinc illâ ſe penitus in providentiam & voluntatem inque tutiſsimum Dei ſinum immergens novos quotidie ſpiritus ad plura & graviora perpetienda ſumpſit. Hinc illa prorſus admiranda ad divinam voluntatem conformatio. Cùm enim Ludovici conjugis defuncti cineres urnâ clauſos in Germaniam delatos excepiſſet Eliſabetha, novo quidem vulnere ſauciata, & pæne jam mortua, nihilominus ſic inſtitit precari.

Sed divinis deliciis fovetur,

Et divinæ voluntati ſuam conformavit.

O mi amantiſsime Deus, gratias ago pro chariſsimi conjugis mei recepto pignore. Vel cineres ejus amplecti ſummum beneficium interpretor. Optaſſem quidem in extremâ etiam mendicitate illius contubernio frui, ſi tu annuiſſes. Nunc verò & ipſum & me ſanctiſsimæ voluntati tuæ perfectiſsimè committo. Licet

enim vel unico capitis mei pilo conjugem meum in vitam revocare poſſem, id tamen facere nollem, ſi tuæ hoc voluntati non placere ſcirem.

O cælum! & ô terra! ô Superi! ô Deus quanti quámque generoſi ſpiritus in feminâ! Hi eleemoſynarum fructus, hæc illa Chriſtianæ liberalitatis præmia ſunt, divinæ providentiæ notitia & conſpiratio cum Dei voluntate tam eximia. Eminentiſſimum ab eleemoſynis præmium eſt vera vitæ ſanctimonia.

Bonis receptis Chriſti amicos pauperes juvat.

Porrò Henricus Eliſabethæ ſpoliator Rudolphi Comitis admonitione liberrimâ commotus, jámque ærumnis viduæ illacrymans ſe paratum eſſe dixit, omnia, quæ contra jus & æquum eripuiſſet, reddere. Eliſabetha pro ſe nihil exegit, niſi quod ad dotem pertineret, cujus uſumfructum petiit, ut eſſet, quod egentibus largiretur: liberis ſua jura ſalva voluit. Adeò ſanctiſſimam viduam id pæne unicum angebat non poſſe pauperes juvare. Ita eam calamitas aliena graviùs afflixit propriâ. Vbi autem aliquid annui censûs impetravit, Marburgi habitare ſtatuit, veſtes delicatas ſibi detraxit, abjectas induit, ancillas lautiores removit, ſe denique omni humanâ conſolatione ſpoliavit, ut tantò ardentiùs inhæreret Chriſto, & Chriſti amicos pauperes tantò feliciùs juvaret.

## §. III.

Marburgi valetudinarium inſtaurat, & miſerabili turbæ ancillatur.

ITaque Marburgi valetudinarium inſtauravit, ubique miſerabili turbæ plenis votis ancillata, egenis ipſa menſam præbuit, & ad ſuam adhibuit, ſed plebejam & minimè lautam. Nam ipſa leguminibus & oluſculis vitam toleravit, lanas duxit, quod in regiis matronis inauditum, ſuóque manûs pretio vixit, ut quidquid ærarii haberet, in pauperes effunderet. Extremam hanc inopiam Eliſabethæ ad Andream Vngariæ Regem illius patrem fama detulit. Rex verecundiâ & miſeratione filiæ motus è nobiliſſimis dynaſtam miſit Marburgum cùm rei cognoſcendæ, tum filiæ domum reducendæ. Legatus Pama, hoc viro nomen, ubi Marburgum venit, ad colum ſedentem regiam feminam offendit; regium corpus pannis obſitum ſqualere, Thuringiæ principem modò fuſum torquere, modò fila convolvere ſpectavit. Hic ergo Regis juſſa expoſuit. Eliſabetha gratiis parenti actis, decretum ſibi reſpondit, ſpe regni melioris cœptam vivendi rationem pergere, viam ſibi præiviſſe Chriſtum pauperem, hunc ſe ſequi, nec ab eo quoad viveret, receſſuram. Ita Comes ad Regem, illa ad lanificium reverſa quotidie majora virtutis exempla edidit. A familiâ puellæ nobiles remotæ, è fortunâ ſervili aſſumptæ, quæ non tam ipſi, quàm ipſa illis inſerviit: dominam ſe vocari prohibens, ſuo ſe nomine, prout è vulgo alter alterum compellat, compellari voluit. Hanc unam auctoritatis prærogatiuam retinuit, ut in eâ domo, nemini liceret vocem mittere, quæ non pietatem, verecundiam, religionem ſaperet. Si quæ contrà feciſſet: Vbi, ajebat, Dominus eſt, qui medius de ſe loquentibus adeſt.

Quotidie pauperum caſas adibat neceſſaria ſubminiſtrans.

Hoc illi quotidianum & ſolenne fuit, ut puellis comitata pauperum caſas adiret, panem, farinam, carnes ſuâ manu egentibus diſpertiret. Hic veſtem, lectulos, ſupellectilem contemplata, ubi neceſſaria deeſſe animadvertit, annulis, & quidquid mundi muliebris ac cimelii ſupererat, oppigneratis, inopiæ ſuccurrit. An non iſtud eſt pauperum matrem agere? Nec dandi finis. Nam demum quidquid fundorum reſtabat, per auctionem venditum in pecuniam redegit. Deinde infinitam ex omni viciniâ turbam ad diem certum cogi juſſit. Confluxerunt tantæ copiæ, ut exercitus videri poſſet. His per miniſtros legem dixit, ne quis à deſtinato loco ſurgeret, ne bis ad capiendam ſtipem accederet, néve turbas cieret. Ita expenſæ ſunt auri marcæ quingentæ, quæ ſupra ſexaginta quatuor aureorum millia noſtratis monetæ faciunt. Nullius unquam Imperatoris, putem, quantumvis largi, tanta fuit in pauperes uno die munificentia. Orbis theſauros, montes aureos, ſi poſſediſſet Eliſabetha, eos in Chriſti familiam diſtribuiſſet.

Pecuniam ex fundis per auctionem venditis collectam in pauperes diſtribuit.

Officiis erga miſeros fatigari non potuit.

Nemo unquam tam avidus fuit æris acervandi, quàm illa cupida ejuſdem erogandi. Nullis potuit officiis erga miſeros fatigari, nunc publica obeundo noſocomia, nunc ſingulis inquirendis quibus inſerviret. Pupillum ope humanâ deſtitutum, & aſſiduo ſanguinis profluvio laborantem nacta, diu noctúque ſuis ipſa manibus fovebat, geſtabat, abluebat, quoad animam efflaret. Virginem leprâ fœdatam in ſuum conclave intimum deportavit, illic omnem curam, ut poſtremiſſima famularum, adhibuit, huic cibum paravit, lectum cubicularem compoſuit, ſordes abluit, ſurgentem veſtiit, cubitum euntem deveſtiit, ſuarum ipſa ancillarum famula.

Chriſtus ſanctiſſimam viduam maximis ſolatiis perfudit & mortis incommoda non ſenſit.

Non paſſus eſt Chriſtus tot ſibi præſtitis obſequiis, tantâ liberalitate ſe vinci. Idcircò viduam ſanctiſſimam crebro ſui aſpectu dignatus, maximis eam ſolatiis perfudit: neque verò paſſus eſt pridem mundo mortuam ulla mortis incommoda perſentiſcere, ſed cæleſtibus delibutam gaudiis ad æternitatis oſtium ſine metu deduxit, ac fine beatiſſimo coronavit, anno Chriſtiano milleſimo ducenteſimo trigeſimo primo, decimotertio Kalendas Decembris. In funere ipſis etiam egenorum lacrymis parentatum eſt. Nec jam miremur olei liquorem ex oſſibus benigniſſimæ principis non ſine odore ſuavi liberaliter fluxiſſe, ſanctitatis, caſtimoniæ, liberalitatis teſtem.

En feminam verè fortem, verè miſericordem, & ſui victricem. En matronam regiâ ſtirpe ortam, ævi ſui ſanctiſſimam, pudoris exemplum, pietatis ac religionis effigiem, viduam integerrimam, egenorum patronam benigniſſimam, matrem pauperum. Quæ & amantiſſima tolerandæ paupertatis à purpurâ ad centonem ideo deſcendit, ut ſummi pariter infimique rectè locandarum opum, &, quod æquè difficile eſt, honeſtè perferendæ paupertatis ab eâ documenta peterent. Imitari non pigeat, quam laudare delectat.

GAZO-

# GAZOPHYLACIVM CHRISTI.

## PARS TERTIA.

## Objectiones & Excuſationes refutantur; Quæſtiones explicantur.

### CAPVT I.

*Avaræ tenacitatis contra Eleemoſynas objectionibus reſpondetur.*

*Beda l. 3. hiſt. Anglic. c. 6.* Oſwaldi Regis Angliæ erga pauperes munificentia.

REx Angliæ Oſwaldus & Aidanus Præſul ipſo Paſchatis die ad prandium unà conſederunt, jámque fercula menſæ illata manus expectârunt, cùm famulus, cui cura pauperum commiſſa, ſudans advolat, & Regi in aurem dicit: Ingentem pauperum multitudinē, & majorem quàm aliàs unquam, in plateis vociferari & ſtipem poſcere. Rex pientiſsimus non moroſè deliberans: Hæc omnia, inquit, quæ in noſtram menſam parata ſunt, tolle, & unâ argenteum hunc diſcum, eúmque cum cibis inter pauperes, ut potes, divide. Aidanus regis tam exporrectâ & illuſtri beneficentiâ delectatus, & ſimul regiam dextram reverenter contingens: Hæc dextera, inquit, nunquam putreſcat. Vox evētum certum habuit. Rex quidem in bello extinctus eſt, at manus regis hactenus incorrupta, & tabis exempta in argenteâ ciſtulâ Debbæ in beati Petri templo aſſervatur teſte venerabili Bedâ. Eleemoſynæ immortalitatem conferunt.

B

De eleemoſynis jam ſuprà diximus, Quare, & Quomodo ſint dandæ; reſtat ut objectiones, excuſationes, & quæſtiones circa eas explicemus. Initium huic rei dabimus hoc capite, quo diverſas objectiones, ſuo quamque reſponſo refellemus.

#### §. I.

1. Objectio.

OBjiciunt primò. *Frequentes eleemoſynæ rem familiarem & cenſum minuunt.* Vt ut ſit, ajunt, marſupium in tot partes ſecare, jam piſtori, jam ſartori, jam lanioni, jam ſutori, jam & mercatori, modò fulloni aut textori, modò magiſtratui, modò aliis partē præſcindere, ſuam inſuper egenis partem facere, crumenam nimiùm convellit; interit flumen in tot rivulos diductum. Ad hæc promptè Auguſtinus: *Minuitur cenſus*, inquit, *ſed augetur juſtitia. Laudas mercatorem, qui vendit plumbum, & acquirit aurum; & non laudas mercatorem, qui erogat pecuniam & acquirit juſtitiam? Illud minuitur quod relicturus es, illud augetur quod in æternum poſſeſſurus es.*

C

Reſp.

*Auguſt. in Pſal. 111.*

Non igitur hîc fruſtra trepidemus. Scimus imminutionem ſanguinis ſæpiſſimè augmentum eſſe ſalutis. Quod in philoſophorum ſcholis tritiſsimum: *Vnius corruptio, alterius generatio*; hîc longè veriſsimū eſt: quod decedit nummis, accedit animo & bonis æternis. In plurimis id utiliſsimè fieri videmus. Ruinoſa domus diruitur, & ædificatur templum: infinita vis lignorum comburitur, ſed inde calcem, inde lateres, inde ſalem & vitra, inde cibos & victum habemus. Artificioſiſsimum lucri genus eſt perdere ut acquiras. Ergo aliquid nummorum perde, ut regnum æternitatis obtineas.

2. Objectio.

Objiciunt ſecundò: *Quî aliis dabimus, cùm nobis ipſis*



A *deſint neceſſaria?* Enimverò unuſquiſque ſibi proximus eſt. Si facultas dandi ſuppetat, & huic, & iſti, & illi dabo, priùs tamē mihi, nam & ego paupertatis ollulas lambo. Germanis verbum eſt, cùm in mendicos benefici ſunt mendici, applaudunt omnes Angeli. Darem omnibus, inquis, & libentiſſimè darem, ſed dandi facultas deeſt. Chryſoſtomus multorum frigidiſſimas excuſationes eruditè refutans: *Sed dicet de mediocribus aliquis*, ait, *Ego miſericordiæ inſtanter implerem officia, ego inopes paſcerem, egenos foverem, nudos veſtirem, ego pauperibus neceſſaria victûs impenderem, ſi mihi copiæ redundarent. At cùm mihi neceſſaria deſint, cur dandi ſterilitas imputatur? Sed audi quiſquis hoc loqueris; & excuſandi anſas, quas obtendis, omitte. Nullus miſer eſt, niſi qui miſereri noluerit: quia nec quiſquam miſereri deſiderans poterit non habere quod tribuat. Non enim miſericordiæ deſinita ſunt pretia. Vidua Eliam ex modico paſcit, & idipſum quod habuit, finiri non potuit. In Evangelio minutum viduæ divitum opulentias vicit. Provocaris, Chriſtiane, provocaris, & à viduâ in certamen deduceris. Et ne poſſit quiſquam non habendi excuſatione purgari, gratuita miſericordiæ inducuntur officia, ut oſtendatur Dominum etiam ipſis pauperibus operandi impoſuiſſe obſequia.*

*Chryſ. to. 5. de duabus viduis mihi pag. 790. & hom. 2. ad pop. pag. 21.*

*Gratuitum officium eſt, calicem frigidæ porrigere, ægrotū vel alium in carcere conſtitutum viſitare.*

Demum plurima velut in compendium conferens: *Vis*, inquit, *ditari? Amicum habeas Deum, & omnium ditiſſimus eris.*

Subinde pauperes ſumus, ſed noſtro vitio, quia rem familiarem malè adminiſtramus, vix quidquam conſilio & ratione gerimus, parſimoniæ nihil adhibemus, nec frugem facimus. Hîc illud Græci Rhetoris uſurpem. Iſocrates Rhetoricæ præcepta traditurus adoleſcenti ſupra modum garrulo: Mi adoleſcens, ajebat, priùs tacere, dein loqui diſcamus. Ita his, qui rem familiarem corrumpunt, inſuſurandum in aurem: Diſcamus priùs comparcere, & non erit difficile largiri; nec etiam quod largiamur deerit. Verùm ſit aliquis, qui nec æra quidem minuta duo poſſit egentibus impendere, huic beatus Leo ſolatium affundens: *Æquatur*, ait, *plerumque merito, quod diſtat impendio, quia poteſt eſſe par animus, ubi impar eſt cenſus.* Novit Dominus vires & facultates omnium. *Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.*

*Leò ſerm. 5. de jejunio.*

*Tob. c. 4. v. 9.*

#### §. II.

3. Objectio.

1. Reſp.

OBjiciunt tertiò. *Servamus liberis noſtris, alioqui plura & promptiùs daturi.* Reſponſum hîc multiplex: Primum: Hic error in plurimis obrepit: pleraque omnia ad rationem humanam exputamus, cauſſas frivolas convolvimus, & divinæ providentiæ nihil permittimus. Atqui, ajunt, miracula non ſunt poſtulanda. Rectè hoc quidem, ſed en quàm imperitè argumentemur, & ita carnes, caſeum, piſces, pulmenta & oleræ miſceamus. Longè aliud eſt miracula flagitare, aliud divinam providentiam adorare illuſtri fiduciâ: illud ab inſtinctu evidenti proveniat neceſſe eſt, quod rariſſimum; hoc ſemper & in rebus omnibus exercendum. Alterum reſponſum eſt: Idem in pecuniâ, quod in vindictâ licet obſervare. Si nos ipſi noſtras injurias ulciſcamur, Deum fore ultorem ne ſperemus. Tali dixerit

2. Reſp.



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

xerit Deus: Tu ipſe tibi ſat fortis & poteſ es, nec meâ eges operâ: ita prorſus, ſi pecuniam lubitu noſtro congeramus, curemus, expendamus, nec divinam providentiam magnoperè attendamus, Deus meritò nobis dixerit: Vos ipſi prudentes eſtis œconomi, & in rem veſtram vigilatis, nec meâ indigetis adminiſtratione; Ite, curate res veſtras, ſervate liberis; ego me vobis nolentibus non ingeram. Sed exitus docebit, quàm fatua fuerit veſtra prudentia, ſine meâ providentiâ: malo veſtro ſapietis, ſed ſerò.

Parentes ut liberos virtute divites relinquant debent curare,

Quiſquis à divinâ providẽtiâ non totus pendet, ſibi ac ſuis ſtultiſſimè providet: in aëre miſer ædificat, ſed ædificium illud priùs corruet quàm ſurgat. Prima parentum cura ſit, quâ ratione liberos non ære, ſed virtute divites, eruditione potiùs quàm veſte cultos relinquant. Contrarium fit, ſed in liberorum & in orbis perniciem. Quamprimum namque liberi nummos olfaciunt, & incipiunt non neſcire ſe divites eſſe, plerumque in litteris parum proficiunt: ſi urgeantur à magiſtris, audent dicere: Libri me non alent. Imò & ipſi ſtultiſſimi parentes, quò molliùs habeantur filii, dicere non verentur; Non cupimus eos fieri litteratiſſimos, non utriuſque juris ſcientiſſimos.

Amplum enim patrimoniũ filiis largus ad inferos cõmeatus eſt.

Eccli. c. 44. v. 10.

Hoc prorſus eſt rudes aſinos ad lyram admovere, nolle tamen ut lyram peritè diſcant tangere. Fiet omnino quod optant; votis ſuis non excident. Ita parentes proſpiciendo liberis nihil proſpiciunt; his adjumentis nocent. Nam dum eis opes, ſimul & viaticum nequitię atque interitûs relinquunt, & ita eos cũ curâ in præcipitium impellunt: imò, ut Chryſoſtomus loquitur camino ardenti oleum addunt, dum filiorum vitia divitiis accendunt. Amplum patrimonium filiis ſæpiſſimè venenum, libidinis fomentum, flagitiorum inſtrumentum, & largus ad inferos commeatus eſt. Quantò meliùs *illi viri miſericordiæ, quorum pietates non defuerunt, cum ſemine eorum permanent bona?* Non paucorum opes quotidie ſic evaneſcunt, ut de iis tertius hæres non gaudeat. Hoc mali plerumque ab avarâ manu eſt, quæ ſibi ipſi ſubtrahit, dum pauperes excludit.

*Chryſ to. 5. hom. 23. ad pop. mihi pag. 305. & ſeq.*

Deum tutorem relinquere,

Chryſoſtomus hanc parentum fatuam parſimoniam crebriùs perſtringens: *At, inquies,* ait, *infantum me cœtus circumſtat, & illos divites relinquere cupio. Si ipſis omnia admittas, periculoſæ cuſtodiæ commendaſti. Si verò Deum eis relinquas hæredem & tutorem, innumeros reliquiſti theſauros. Sicut cùm nos ipſos ulciſcimur, Deus nos non defendit: cùm autem hoc ipſi permittimus, plus quàm expectamus, efficitur: ſic & in pecuniis, ſi nos earum curam gerimus, ab earum ille providentiâ recedet, ſi verò totum in eum projiciamus, & eas, & filios in omni ſecuritate conſtituet. Si vis itaque multas filiis divitias relinquere, Deo relinque tutelam. Qui vult dives fieri, fiat pauper, ut dives evadat. Expendat ut colligat, diſperdat ut congreget.*

*Aug. in pſ. 125. mihi pag. 602.*

Hæc eadem Auguſtinus adſtruens, & Babyloniam confuſionis matrem aſpiciendã monens: *Videte,* inquit, *ſi non eſt confuſio tota vita humana. Quidquid agunt homines in ſpe vanâ, cùm cognoverint, quid agant, erubeſcunt. Quare laborant? cui laborant? Filiis meis, inquit. Et ipſi cui? Filiis ſuis. Et ipſi quibus? ſuis etiam filiis. Nemo ergo ſibi.* Nemo pauperibus. Notiſſima plurium cantilena: *Servo filiis.* Imò ſervas ſæpe muribus & tineis, ſæpe canibus & paraſitis, ſæpe chartulis luſoriis, abacho & teſſeris ſervas, quod dandum eſſet egenis. Eleemoſynæ tuæ non depauperabunt filios tuos.

*Cyprian. orat. de opere & eleemoſynis.*

Quod Cyprianus uberrimè confirmans: *Illa vidua,* inquit, *non filiis abſtulit, quod Eliæ dedit, ſed magis contulit filiis, quod piè ac benignè fecit. Non filios mater in fame & neceſſitate præpoſuit Eliæ: quin imò eſurrentibus liberis alienus antè paſcitur, nec in penuriâ priùs eſca quàm miſericordia cogitatur. Si ergo verè filios tuos diligis, ſi eis exhibes plenam & paternam dulcedinem charitatis, operari magis debes, ut filios Deo juſtâ operatione commendes. Nec cum liberis tuis cogites*

A *patrem, qui & temporarius, & infirmus eſt, ſed illum patrem pares, qui æternus, & firmus, filiorum ſpiritualium pater eſt. Illi aſſigna facultates tuas, quas hæredibus ſerves: ille ſit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes injurias ſæculares divinâ majeſtate protector. Patrimonium Deo creditum nec reſpublica eripit, nec fiſcus invadit, nec calumnia aliqua forenſis evertit, in tuto eſt hæreditas, quæ Deo cuſtode ſervatur. Hoc eſt charis pignoribus in poſterum providere, hoc eſt futuris hæredibus paternâ pietate conſulere.*

Eſt hæredibus paternâ pietate conſulere.

Magnum filiis patrimonium, eleemoſynæ parentum. *Multos equidem vidi,* ait, Theologus Hiſpanus, *divitum & avarorum parentum filios, quibus ampliſſima obvenerant patrimonia, brevi tempore ad tantam redactos miſeriam, ut nec famulum quidem, ſed nec panem haberent, tam inglorii quàm inopes. Cùm contrà multos etiam viderim pauperibus benignos, quotidie magis ac magis locupletari, & illorum*
B *ſobolem fortunis & titulis abundare.*

Benedictus Fernandus tom 3. in c. 37. Gen. mihi pag. 539.

## §. III.

CVm igitur teſtamentum condis, quiſquis es, teipſum primò hæredem tibi conſtitue, & principem curam animi tui gere. Hîc iterum Auguſtinus: *Quid,* ait, *ipſius filii? Et ipſi ſervant, quod eis reliquerunt parentes. Parum eſt, quia ſervant, etiam augent. Sed quibus & iſti ſervant? Filiis ſuis & illi filiis, & tertii filiis. Quid Chriſto, quid animæ tuæ? omnia filiis. Inter filios ſuos, quos habent in terrâ, computent unum fratrem, quem habent in cælo; cui totum dare debebant, vel dividant cum illo. Ne illis eveniant, quod Dauid Rex præmonet.* Et relinquent alienis divitias ſuas. *Quomodo,* inquit Auguſtinus, *alieni ſunt filii? Quicumque tibi in tribulatione ſubvenire non poſſunt, alieni à te facti ſunt. Iam attendamus illos divites, qui malè vixerunt, qui ſuperbè egerunt, mortui ſunt, & reliquerunt non dico extraneis, ſed filiis ſuis reliquerunt divitias ſuas, & filii ipſorum viam parentum ſuorum ſequuntur. Sicut illi ſuperbi, ita*
C *& iſti: ſicut illi rapaces, ita & iſti: ut illi avari, & iſti; alieni ab illis ſunt. Quid tibi diceret dives? Habeo quinque fratres, unum fratrem mihi amicum non feci, qui jacebat ante januam. Illi mihi fratres ſubvenire non poſſunt, qui poſſident divitias meas, alieni à me facti ſunt.*

Pſal. 48. v. 12.

Eos igitur hæredes ſcribe, illos tibi amicos concilia, qui te poſſint recipere in æterna tabernacula. Ad hoc Chryſoſtomus ſuos graviſſimè cohortatus: *Ne perdamus,* inquit, *præſentis vitæ occaſionem. Licet enim, licet, inquam, ut ad extrema uſque ſuſpiria Deo gratias agas, licet ut & ab ipſo teſtamento commenderis, etſi non quemadmodum, ſi dum vivis bene ageres, licet tamen. Quo pacto? ſi cum neceſſariis tuis Chriſtum ſcribas hæredem. Non eum vivens paviſti, ſaltem migrans, cùm non es dominus ultra, da tuorum partem, cohæredem eum tuorum inſtitue filiorum. Si autem & hoc negligis, cogita, quòd pater ipſius te fecit ejus cohæredem, & inhumanitatem diſſolve. Quam enim habebis excuſationem ſi neque filiorum tuorum conſortem facias, qui te cælorum participem fecit, & propter te occiſus eſt, & hæc omnia non debi-*
D *tum reddens, ſed gratiam exhibens fecit. Sed ſunt quidam tam miſeri, qui filiis quidem carentes, hoc tamen facere non ſuſtinent, ſed paraſitis & aſſentatoribus, vel illi, vel iſti ſua diſtribuere malunt quàm Chriſto. Quibus quid eſſe poſſit ſtolidius? Qualem enim veniam hujuſmodi conſequentur, quòd eum viventes non paverint, ad Deum verò migraturi nec ex pecuniis, quarum non ſunt ampliùs domini, vel minimam ei partem largiri velint: ſed tam hoſtiliter & inimicè ſe gerant, ut nec de iis rebus, quarum uſu jam deſtituuntur, ei contribuant? Melius quidem eſt, & multam præbens ſecuritatem, ſi unius paupertatem adjuves. Sed ſi id efficere nolis, ſaltem moriens aliquid fac generoſum.*

Chryſ. to. 5. hom. 25. mihi pag. 189. & 190. Idẽ ſcripſ. to. 4. ho. 18. in epiſt. ad Rom. mihi 184. & ſeq.

Sunt divites, ſed eorum pauciſſimi, qui teſtamentum componunt in hæc verba: *Hæres meus ex aſſe ſit Chriſtus.* Porrò ad herciſcundam hæreditatem, iſta ut illa familia religioſa, iſti aut illi pauperes jus habento. Hi tales teſtamentarii cognatis non egenis nihil adimunt, & ſibi plurimùm conſulunt.

Vaniſſi-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A Vaniſſimè illi agunt, qui potiùs ſui poſt ſe memoriam relinquere ſatagunt, quàm aliis prodeſſe cupiunt. Ridiculè ac ſtultè. Nam ſæpe laudantur, ubi non ſunt; ubi ſunt, cruciantur.

Quicumque teſtamentum conſcribitis, & ſuprema veſtra ordinatis, has obſecro vanitates & inſanias falſas ab iis proſcribite. Dominum IESVM ſaltem in hæreditatis partem admittite; quo loco meliùs pecuniæ locentur, conſiderate; ubi gravior paupertatis neceſſitas eſt, eò brachium argenteum extendite: Date, quod ſuprà monuimus, prudenter & circumſpectè. Cujus rei monebit narratio, quam adjungimus.

*Ioan. Moſc. in prat. ſpirit. c. 201. mihi pag. 635.*

Conſtantinopolim ibam, dicebat quidam priſcorum Patrum, cùmque jam in templo ſederem, vir illuſtris ingreſſus me humaniſſimè ſalutavit, & aſſidens interrogare cœpit compluſcula, quæ ad animi ſalutem pertinebant. Ego dicta in compendium collaturus: B Cælum, inquam, non facilè amittunt, quicumque res terræ rectè diſponunt. At ille: Non malè, ait, dixiſti pater, nam verè beatus eſt, qui ſpem omnem in Deo figit, ſéque ipſi totum committit. Parens meus tam à fortunis locuples, quàm in egenos liberalis, die quadam mihi omnem pecuniæ præſentis apparatum & dignitatem monſtrans: Mi fili, ajebat, dic ingenuè, quid malis, has tibi pecunias, an curatorem relinquam Chriſtum? Ego promptus: Mi optime pater, nihil licet præferre Chriſto, Chriſtum malo. Hæc minui, hæc amitti, hæc eripi poſſunt; Theſaurus inexhauſtus, ſtabilis, ſempiternus eſt Chriſtus. Hæc pater meus audiens pecuniam pæne omnem in mendicantium centones abdidit. Sub exitum vitæ tenues omnino reculas hæredi mihi reliquit. Hinc ego ſine cenſu fortunæ inops in Chriſto tutore meo ſpem maximam collocare ab ipsâ paupertate juſſus ſum. Erat autem civis opulentus & primi nominis, cui conjux pudica & filia unica. C Mater in filiæ connubium ſollicita, maritum his verbis aggreſſa. Filia, inquit, nobis eſt unica & opes amplæ, quem ei virum indagabimus? ſi nubat diviti, ſed parum prudenti & probo turbas & offenſiones domeſticas habebit perpetuas. Indagemus igitur virum modeſtum, & bonæ mentis, quæ vxorem magis amet quàm uxoris pecuniam. Ad hæc maritus: Opportunum ſuggeris conſilium, inquit, nec ego aliud ſentio. Nam ſi noſtra filia æquè diviti nubat, ille ſe dominum, & illa dominam ſe geret. Hinc utrique accendetur luxus in odium parſimoniæ. Sin eam ditiori jungimus, generum habebimus imperioſum & filiam ancillam. Præſtat igitur eam minùs nummato, ſed modeſto in matrimonium dare. Sed Deus nobis ante omnia exorandus eſt, ut virum quem quærimus, inveniamus. Tu hoc age, & templum ſummo mane occupa, Dei favoré in hanc rem expete, ſed interim obſerva, quis primus templum ſubeat, num forſan ille in ſponſum deſignandus ſit. Nec enim leve indicium eſt pietatis, tam maturum ad ædem ſacram properare. Paruit mulier: dúmque illa precaretur in templo, ingreſſus ſum ego primus. Mox in genus, in fortunas, in educationem, in mores meos indagatum eſt. Ego cuncta candidè aperui, parentem mihi fuiſſe opulentum, ſed qui piâ liberalitate non imprudens me pauperem feciſſet. Illi ut hæc audierunt, adoratâ divinâ providentiâ ſuam mihi filiam nuptum dederunt cum grandi dote. Ita Chriſtum tutorem meum longè optimum fuiſſe mihi jam compertiſſimum eſt. Hinc ego id unum aſſiduè laboro, ut patris mei veſtigiis & piæ ipſius liberalitati tenaciſſimè inhæream.

Hæc audimus, & Deo tamen necdum ſatis fidimus. Ecquis eſt, qui audeat ſimilia? Filiis reverà præclariſſimè proſpectum eſt, ſi habeant in patrimonium Eruditionem & Virtutem. Ariſtippi ſapiens conſilium eſt, eo filios patrimonio ditandos, quod cum ipſis enatet in naufragió. Tale Virtus eſt & Eruditio. Sic igitur ſerva filiis, ut Chriſtum Servatorem omnium non excludas ab opibus ſervatis.

### §. IV.

*4. Objectio.*

OBjiciunt quartò: *Multi mendicârunt, qui liberalem mendicantibus ſtipem dederunt.* Hanc objectionem Solymæus Rex Dauid potentiſſimè ſubvertens: *Iunior, fui,* ait, *etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.* Sed obducunt iterum: Iobus an non in eleemoſynas effuſiſſimus, an non pater erat pauperum? Et tamen mendicitatem extremam paſſus, omnium hominum mendiciſſimus fuit. Lazarus integer & ſanctus, Angelis tam familiaris, ut eoſdem pro veſpillonibus habuerit, & tamen quæſivit panem, & non invenit; miculas è menſâ defluas petivit, & nemo illi dabat. Reſpondemus, quod Iobum attinet, B Divina providentia cum hoc viro luſum prorſus admirabilem luſit, ut in eo ſpectaret orbis univerſa Patientiæ documenta. Nec tamen ſteriles fuerunt Iobi eleemoſynæ, nam amiſſis omnibus recepit omnia, & quidem locupletiſſimo fœnore duplicata. Lazarus eâ conditione, & in eam ſortem natus eſt, ut eleemoſynas potiùs acciperet quàm daret. Quod autem regius pſaltes de homine juſto pronuntiat, id interpretes ajunt, illi convenire, qui & magnæ integritatis ſimul & piæ liberalitatis laudem ferat: Quod ipſe Rex David ſignificans: *totâ die*, inquit, *miſeretur & commodat, & ſemen illius in benedictione erit.* Hic talis, qui totâ die, qui omni vitâ miſericors largitor eſt, largiēdo ad incitas non devolvetur. Vos autem homines increduli circumſpicite, quæſo, num reperiatis quos eleemoſynæ fortunis everterint; mōſtrate ſultis vel unicum quem pia largitas ad mendicitatem detruſerit. At ego è diverſo plurimos, totas ego centurias eorum recitabo, C quos pompa & luxus in egeſtatem deduxerit, quos immiſericors parſimonia fortunis provolverit, quos ingluvies & helluatio facultatibus exuerit, quos libido & luxuria ad paupertatem protraxerit. In oculis oberrant, qui veſtibus & cenis plus æquo ſumptuoſis facti ſunt egentiſſimi: digitis monſtramus, quos depauperavit Venus: non deſunt qui ſua perdiderunt dum raperent aliena: non paucos opes malæ partæ ad inopiam expulerunt; plurimis mendicitatem obtulit divinæ rei neglectus. Res certa, & quod è cælo deſcendit oraculum: Eleemoſynæ non pauperant.

*Pſal. 36. v. 25.* — *Luc. c. 16. v. 21.* — *Reſp.* — *Pſal. eod. v. 26.*

Quod Chryſoſtomus aſſeverantiſſimè dixit. *Fieri omnino nequit, ut ea domus quæ pauperum miſeratione fundata ſit, mali quippiam patiatur: imò ſi quid fortè perpeſſa fuerit, melior eam eventus excipiet, idque erit familiæ ac domui pro clypeo ac haſtâ. Cælum & terra tranſibunt, verba autem Domini non præteribunt.*

*Chryſ. in in epiſt. 2. ad Timoth. hom.* — *Matt. c. 24. v. 35.*

Iudocus Regum ſanguine oriundus, ſed Chriſti amore pauper, ad flumen habitavit cum ſocio Wulmaro. Id autem viro ſancto conſuetudinis & pæne legis fuit, nulli numquam pauperi deeſſe. Cùm autem panis unicus quâdam die ſupereſſet, eum in quatuor partes ſecari, & earum unam mendico porrigi juſsit. Mendicus inediâ confectus rediit ſecundùm, imò tertiùm & quartùm, & panem extremæ fami petiit. Nihil negatum eſt; omnes panis partes abſtulit. Hic Wulmarus angi nonnihil, & cum Iudoco expoſtulare, ſed modeſtè, omne prandium ablatum dicere, nec alios panes tam citò adferendos ſperari poſſe. Iudocus hominem ad divinam providentiam erigens: Quæſo te, inquit, bono animo ſimus, & meminerimus penariam Dei arcam nondum exhauſtam eſſe. Qui paſſerculos & corvorum pullos enutrit, ſuorum utique non obliviſcetur. Submittet Deus alimoniam ne dubita, aut ipſa nos fames paſcet. Dixit, nec multò pòſt ad fluminis ripam naviculæ [a] duæ, ânnonam devehentes

*Obiit anno 653. die 13. Decemb. Baron. to 9. Lippeloo dicto die.*

*[a] Quatuor ait Lippeloo.*

A vehentes ſe ſiſtunt, veluti rogarent hoſpitio admitti, & in penu menſámque exonerari. Admittit Iudocus, & cum ſocio gratias agit providentiſſimæ numinis largitati, quæ panem unicum hoſtimento longè ampliſſimo voluit remunerari.

*Auguſt. in Pſ. 20. mihi pag. 223.*

Hanc Dei munificentiam agnoſcens Auguſtinus, inquit, Deus tibi de ſcripturâ ſuâ dicit, da, ſecurus eſto, reddam. Quomodo ſolent dicere fidejuſſores? Quid dicunt? Ego accipio, mihi das. Et quid inde habebo, dicturus es? Vitam æternam dabit tibi, da illi ſecurus.

Quare non reſpicis ad Deum tuum? Vbi eſt fides? Quare ſic dormit? Excita illam in corde tuo.

*Platina in vitis Pontif. Tempeſta. mihi pag. 354.*

Narrant Baptiſta Platina & Dominicus Tempeſta, Alexãdrum V. Pontificem Romanum affectu in pauperes ſemper proniſſimo fuiſſe. Eò autem hic inopum amor efferbuit, ut liberaliſſimus Pater vix ſibi quidquam reliquum faceret, adeò ut maluerit vel etiam B de quotidiano victu ſuo detrahere, quàm egenis non ſua omnia impendere. Hinc ſolitus eſt dicere: Dives fui Epiſcopus, pauper Cardinalis, jam ſum mendicus Pontifex. O virum verè maximum, qui in ſupremo ſolio non ſolùm pauperes prolixiſſimè juvare, ſed etiam eorumdem amore paupertatem experiri non abnuit. Beatus vir, qui poſt aurum non abiit, nec familiam ſuam muneribus ſacris ſatiavit, nec è crucifixi Domini patrimonio cognatos ditavit: beatus, qui ut ſervaret, perdidit.

*Phil. Diez. ſerm Dominic. Palmarum.*

Eccleſiaſtes celeberrimus commemorat, quemdam præſulum ab œconomo monitum, familiam ali nimis amplam, & quidem aliquos in eâ reperiri, quorum operam nemo deſideret. Cui Præſul: Ergo, inquit, aliqui, ſolùm è familiâ dimittendi, non omnes. Atqui ſcias velim quòd ego illos, quos tu retinendos cenſes, ideo alam, quia operâ illorum egeo, ceteros autem à menſâ ideo non excludam, quia illi egent operâ meâ. C Quocirca tam iſtos quàm illos retineamus, non ut pompam augeamus, ſed ut eleemoſynam. Minuamus igitur pecuniam, ut augeamus juſtitiam. Miſereamur totâ die, & ſemen noſtrum in benedictione erit. Benigniſſimus Deus & nobis & poſteris noſtris providebit. Palliata & falſa virtus eſt parſimonia in eleemoſynis.

## CAPVT II.

### *Alia, quæ contra Eleemoſynas objici ſolent, refelluntur.*

*Pſal. 103. v. 14. & 15.*

HEbræus pſaltes præ aliis liquoribus cõmendans oleum: Deus, inquit, jumentis fœnum; at panem, vinum, oleum hominibus producit; illa in cibum & potum, hoc in unctionem aut etiam in cibi condimentum: *Vt exhilaret faciem in oleo.* Frons namque hominis hilarior eſt, cùm cibum habet conditum & palato reſpondentem. Hinc priſci Monachi, Caſſiano teſte, ut hoſpites paullò lautiùs acciperent, olera ſubinde vel legumina condiebant oleo, cùm alioquin hoc genus condimenti mos pauperrimi victûs negaret. Ita facies hoſpitis exhilarata oleo.

Hieronymus in illud Pſalmographi carmen: *Exhilaretur*, inquit, *oleo miſericordiæ juſtorum facies coram Deo. Quicumque orbis judicem ſereno ac hilari vultu cupiunt intueri, nunc vultum oleo erugent ac nitident, guttus olearius aſſiduo liquore in pauperes ſtillet: dantis & accipientis facies exhilaranda.* Sed unde nobis, ajunt, cella olearia, quæ perpetuis fluat fontibus?

Nimirum ſemper cauſſantur, non inertes tantùm, ſed & tenaces, uti capite ſuperiori cœpimus exponere. Sed ſuperſunt plura, quæ objiciant; obtrectationibus ſingulis, ut priùs, reſpondebimus.

### §. I.

*5. Objectio.*

ITa quintò objiciunt: *Cur Deus ſuos pauperes non ipſe paſcit?* Modeſtè obſecro, ne querela in calumniam & maledictum tranſeat. O Eucliones! Erratis toto cælo. Neque enim hæ voces liberalium hominum, ſed deparcorum Euclionum ſunt. Et hoc Chryſoſtomo credetis affirmanti, *Eleemoſynam non accipientium, ſed dantium cauſſâ introductam eſſe: nam illi qui ſtipem porrigunt, non qui accipiunt, maximum quæſtum faciunt.* Vt ſciatis, ventres pauperum ſunt noſtra horrea. Ideo nos accipimus, ut illis demus. Deus omnes paſcit, niſi perfidia famulorum obſtet. Exemplo demonſtratur id, quod dicimus. Hiſpaniarum Rex jubet è Siculo vectigali aliquibus ſuorum famulorum dari annuam penſionem. Non fit. Hinc illis & iſtis ſalarium non redditur, ita victûs ſubſidium adimitur. Cujus obſecro culpâ? Non regis, ſed ſervorum, qui juſta regia non exequuntur. Neque verò moris eſt, ſed nec commodè fieri poteſt, ut ex Hiſpaniis pecunia trãſmittatur. Satis eſt mandare. Vos vectigalibus præfecti, his & illis, & iſtis famulis meis tantum & tantum pecuniæ date. Rex præcipit, vúltque de ſuo dari. Fraus præfectorum, aut certè negligentia eſt, ſi nihil detur. Sic omnino Deus debitoribus crumenam pinguem committit, non ut eam ſuis ſolùm uſibus retineant, aut ad lubitum ſuum exhauriant: His meis, inquit, & de meo date; nec enim opibus veſtris egeo; meas expendite. Non fit. Servorum culpa eſt; acceperunt reddenda, quæ non reddunt.

*Chryſ. hom. 15. in epiſt. ad Philipp.*

*Egeni magis neceſſarii ſunt divitibus, quàm divites egenis.*

Egeni propter opulentos, propter egenos opulenti vivunt, ſed quæſtio ſit, utri alteris minùs egeant. Reverà ſive mores, ſeu naturam attendamus, longè faciliùs egeni poſſunt carere opulentis, quàm opulenti egenis. Fac omnes eſſe divites, & neminem inveniri, qui ſerere, qui arare, qui metere, qui triturare, qui molere, qui pinſere velit, neminem qui calceos ſuere, qui veſtes ſarcire, qui domos ſtruere, qui vineas colere, qui uvas prælo premere ſuſtineat. Vnde igitur cibus, potus, veſtes, domus opulentis erunt? Hi tenuium ac egenorum hominum labores ſunt, quos abhorrent divites. Hoc natura docet. Si mores ſpectemus, magis neceſſarii ſunt egeni opulentis, quàm hi illis. Quot & quanta ſunt opulentorum peccata eleemoſynis redimenda, quæ certè pauperum calas non tangunt?

Ergo fatuè interrogantibus, Cur Deus ſuos non paſcit? occinendum eſt illud: Vobis, ô nimium curioſi rogatores, vobis commiſſi ſunt, ut eos paſcatis. Non tamen de veſtro comedunt, bibunt, non ex arcâ veſtrâ veſtiuntur. Supremus Pater hæc omnia & vobis & illis per vos ſubminiſtrat. Cavete hîc ulla negligentia, fraus aut perfidia interveniat.

*Matt. c. 14. v. 16.*

D Diſcipulis Chriſtum rogantibus: Dimitteret turbas jam fame fatigatas: *Date*, inquit, *vos illis manducare.* Quot panes habetis? ite & videte. Plebs iſta eſuriens propter vos eſt, vos autem propter illam proferte veſtros panes. Proferendi erant, vellent nollent; augmentum Chriſtus adjecit. Ita etiamnum quotidie humana fames paſcitur. Hi panes à Deo acceptos porrigunt, Deus reficit & ſatiat.

*Luc. c. 3. v. 9. & ſeqq.*

Ioannis Baptiſtæ uſitata fuit exhortatio: *Iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Et interrogabant eum turbæ: Quid ergo faciemus? Reſpondens autem dicebat illis. Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.* Perinde ſi dixiſſet: Homines rudes & ſpiritualium inanes eſtis, nec præceptionibus multis onerandi. Hoc igitur unum facite; eleemoſynas egentibus præbete, ciborum & veſtium partem ne negate. Ad doctrinam Chriſti percipiendam hæc optima eſt præparatio.

## §. II.

6 Objectio. Aug. in Pſ. 103. mihi pag 485.

EST qui ſextò objiciat: *Quidquid dicatur non poſſum multa dare.* Da igitur parum, da pilos capraru͂, da æra minuta, da farinulam. Opportuniſſimè hîc Auguſtinus ſuas partes interponens: *Nemo,* inquit, *dicat, non habeo. Charitas non de ſacculo erogatur, quia quidquid dicimus, & quidquid diximus, & quidquid dicere poterimus, vel nos vel poſt nos, vel qui ante nos, finem non habent, niſi charitatem, quia finis præcepti charitas eſt de corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ. Excuſationem in judicio Dei non habebitis, niſi vos in bonis operibus exercueritis, & eorum, quæ audiſtis, tanquam pluviæ fructum congruum dederitis. Fructus congruus, opera bona, fructus bonus ſincera dilectio, non ſolùm fratris, ſed & inimici. Supplicem nullum ſpernas, & cui dare non potes quod petierit, non eum ſpernas. Si potes dare, da, ſi non potes, affabilem te præſta. Coronat Deus intus voluntatem, ubi non invenit facultatem.*

Chryſ. to. 4. in ep. 2. ad Cor. ho. 16. mihi pag. 723. Idem to. 5. ho. 7. è decem homiliis de pœnit. mihi pag. 747. Idem loco citato.

Cum eodem ſentiens Chryſoſtomus: *Non enim,* inquit, *menſura dantium, ſed voluntas exhibentium liberalitas æſtimatur. Propterea nuſquam dicit, divitias datorum, ſed divitias ſimplicitatis illorum. Nam non ſolùm non obfuit eis ad liberalitatem paupertas, ſed & occaſio fuit exundandi, quemadmodum afflictio lætandi; quò enim pauperiores erant, hoc ſe magis liberaliores & alacriores exhibebant.* Hic idem Græcus Eccleſiaſtes: *Audi Prophetam,* inquit, *dicentem: Ego quaſi oliva fructifera in domo Domini. Ejuſmodi ſimus. Nec enim ſatis eſt, olivam ſolùm fieri, ſed neceſſe eſt fieri fructiferam. Sunt qui miſerantes parva dant ipſo anno labente, aut omni hebdomade parum quid exhibentes: Hi oliva quidem ſunt, non autem fructifera & vera, ſed arida. Quòd quidem miſerentur, olivæ; quòd autem non promptè, aut animo, non fructiferæ. Sed ut fructiferi ſimus, quod ſæpenumero diximus, & nunc dico. Non dantis menſurâ eleemoſynæ magnitudo metitur, ſed dantis propoſito. Dederunt quidam capillos in templi ſtructuram, neque repulſam paſſi ſunt. Sed aurum habentes ſi capillos attuliſſent, maledicti fuiſſent, ſi verò habentes ſolum id ipſum tulerunt, accepti.* Quid duobus obolis vilius, quid capillis minus ac farinulæ pugillo, & tamen hæc placuerunt magis quàm vituli, quàm aurum. Etenim in eo, quod quis habet acceptus eſt, haud in eo quod non habet. Quare indigentibus libenter tribuamus opportuna, quamvis modica ſint, quamvis parva. Inſomnis oculus videt nos dare quod habemus.

Matt. c. 10. v. 42.

Servatoris promiſſum eſt: *Quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Hîc omnis excuſatio amputatur, hîc avaritiæ fucus eluitur. Iam nemo dixerit: Ego ipſe pauper ſum, cui neceſſaria quidem ad vitam ſuppetunt; Faveant Codris & Iris copioſi, ego non poſſum, ſupellex mea & pæne tota domus rhedâ componitur unâ. Da igitur buccellam panis, da calicem aquæ frigidæ. Non à te aqua calida poſtulatur, ne lignorum penuriam excuſes, da gelidam & à fonte recentem, & miſericordiæ ſpecimen jam dediſti.

Iuvenal. Sat. 3. v. 10.

## §. III.

7. Objectio. Chryſ. to. 4. in ep. 2. ad Cor ho. 16. mihi pag. 725. Idem repetit to. 5. hom. 7. è decem homiliis de pœnit. mihi pag. 745.

EST qui objiciat ſeptimò: *Multa do, ſed compenſationem nullam ſentio.* Hanc objectationem diſertiſſimè Chryſoſtomus refutans: *Hîc,* ait, *quæris retributionem? propter quid? ſine eleemoſynam, eleemoſynam eſſe, & non fac negotiationem. Sanè multi & hîc acceperunt, ſed non ſic acceperunt quaſi hac ratione his, qui hic non acceperunt, plus habituri eſſent. Ceterùm qui hîc recipiunt, plerumque infirmiores ſunt, & ad illa meliora non valdè feſtinant. Quemadmodum guloſi & ventris mancipia ad regiam vocati menſam, non expectantes congruum tempus, ſicut parvi pueri ſuam lætitiam lædunt, priùs ſatiantes ſe vilioribus cibis: ita certè & hi, qui hîc inquirunt & accipiunt mercedem, alibi minuunt. Porrò in uſuram dans, poſt multum quidem tempus ſperas accipere ſortem, fortè autem non accipere, ut dilatione majus fenus facias. Hîc autem ſtatim repetis, idque cùm non hîc ſed illic perpetuò futurus ſis. Si quis tibi conſtruxiſſet domum hîc non manſuro, damnum putaſſes; nunc autem hîc vis ditari, cùm ante veſperam ſæpius emigrare contingat. Non vides, quòd in alienâ terrâ verſamur, quaſi hoſpites & peregrini? non vides, quòd advenas contingit ejici, quando nec cogitant, nec ſperant? id quod & vobis co͂tinget. Sanè propter hoc quæcumq; effecerimus hîc relinquimus: non enim permittit Dominus, ut hinc abeuntes accipiamus illa, ſive domos extruxerimus, ſive agros emerimus, ſive ſervos, ſive ſupellectilia, ſive aliud quiddã; non ſolùm autem hinc abeuntes non permittit aliquid auferre, ſed neque imputat tibi in mercedem. Nam prædixit tibi, ne ædifices, ne inſumas aliena, ſed tua. Cur igitur relictis tuis operaris, & ſumptum facis in aliena, ut perdas & laborem, & mercedem, & extremum ſupplicium feras? Ne ſic agas, ſed quoniam naturâ ſumus advenæ ſimus & voluntate, ut ne illic fiamus peregrini & ignobiles, & neglecti. Nam ſi hîc voluerimus fieri cives, neque hîc, neque alibi erimus: ſin peregrini manſerimus, & ſic converſabimur, ut peregrinos decet, ſpem ſocietatis habebimus eorum, qui hîc & qui illic ſunt civium: juſtus enim dicet nihil habens, etiam hîc & in omnium quaſi in ſuis rebus verſabitur, & in cælum migrans videbit æterna ſua habitacula.*

Retributio eleemoſynarum in hoc mu͂do non eſt petenda;

Quid igitur eleemoſynaru͂ tuarum remunerationem in hâc vitâ exigis? Quis ædificat in urbe, quam brevî ab hoſte capiendam prævidet? Etiamnum inter hoſtes degimus, à quibus nihil tutum eſt, niſi quod in cælum migratur. Sunt quidem aliqui, quibus etiam in hoc orbe mercedis aliquid pro expenſis eleemoſynis rependitur, non tamen iſti aliis meliores, ſed alii iſtis ſecuriores ſunt. Hæc Deus, prout ſibi viſum, diſpenſat, & ſæpe imbecillitati infirmorum ſeſe attemperat. Pomum infanti ſubtractum redditur, ut flere deſinat: ita Deus cum imbecillioribus agit. Quiſquis liberaliùs eleemoſynas ſpargis, nec compenſationem experiris, optimè ſpera, & certus eſto præmii futuri. Nihil tibi perit, merces differetur cum fenore; longior dilatio, amplius fenus: nullæ divitiæ extra cælum ſecuræ. Nunc coronæ tempus eſt promerendæ, brevî ſequetur accipiendæ.

Merces enim differtur cum fœnore, & extra cæiu͂ divitiæ no͂ ſunt ſecuræ.

His autem annis non ſolùm occaſio, ſed & neceſſitas largiendi fuit maxima. Sunt anni jam viginti, † quibus Germania, imò Europa univerſa bellorum incendiis depaſcitur. Quod olim Hieroſolyma, id nunc de ſe dixerit Europa: *Vindemiavit me Dominus in die iræ furoris ſui.* Quæ terra, quæ provincia, quod Europæ regnum his annis bello non arſit? Hinc rura inculta, deſerti agri, pulſi aut cæſi agricolæ, bona erepta, hinc vaſtitates & calamitates ubique maximæ, hinc pauperum infinitus numerus. Ergo qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet eſcas, faciat ſimiliter.

† *Ab anno* 1618. *uſque ad* 1637. *Thren. c.* 1. *v.* 12.

Laudabile illud quod providus magiſtratus locis pluribus ex ære communi cupiat alimenta pauperibus ſuppeditari, ne cogantur oſtiatim corrogare ſtipem, & ita obvium quemque mendicimoniis infeſtent. Mendicos tamen omnes legibus coërcere, ne mendicent, duriſſimum, nec fieri poteſt, niſi egenorum ſingulis & cuivis inopi familiæ quot hebdomadibus tenuis ſaltem victus ſubminiſtretur. Reperias domos, in quibus vir opifex aut mercenarius graviter decumbat, ſoboles multa, ſed victui parando non idonea, uxor in marito & liberis curandis occupata nihil æris faciat, his certè mendicandum, ni magiſtratus in ſingulas hebdomades ſubmittat, quo ſaltem fami poſſint mederi. Sin ærarium publicum non ad omnes pertingat, quin mendicent, prohiberi non poſſunt.

Mendicos legibus coërcere ne mendicent duriſſimum eſt.

In tantâ igitur hominum egenorum copiâ copioſiores etiam eleemoſynæ ſunt erogandæ. Siracides clamat: *Non eſt ei bene, qui aſſiduus eſt in malis, & eleemoſynas non danti.* Vultis, ô mortales, ut vobis bene ſit? Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis; &

*Eccli. c.* 12. *v.* 3.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ecce bene vobis erit in extremis, & in die defunctionis veſtræ benedicemini. *Gratis ſperat miſericordiam ibi, qui hîc non fecit miſericordiam.* *Petr. Chryſ. hom. 8.*

## CAPVT III.

### *Redarguuntur ceteræ adverſus Eleemoſynas objectiones.*

ERVDITE Gregorius Nyſſenus. Deum, ait ſpeculum eſſe cryſtallinum terſiſſimum, quod ſuo ſe ſpectatori attemperet; ſi quidem ea refert, quæ ipſi objiciuntur. Qui vultu eleganti ac decoro ſpeculum adit, venuſtam in eo faciem ſpectabit; turpem, qui turpi; placidam, qui placidâ; iratam cernet, qui iratâ illud facie acceſſerit. Nam qualis ad vitreum hunc judicem venis talem in eo te conſpicis. Omnem ſeu deformitatis ſeu formæ compoſitionem fideliſſimè refert ſpeculum. Ita Deus in nos ſeſe gerit; ſi mites fuerimus, mitem inveniemus; ſi rigidi, rigidum; ſi ultores, ultorem; miſericordes, miſericordem. Id apertè Rex David pronuntians: *Cum ſancto*, inquit, *ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris.* *Qualem te*, inquit Bernardus, *paraveris Deo, talis oportet appareat tibi Deus. Cum ſancto ſanctus erit, & cum innocente innocens. Quidni æquè & cum amante amans, & cum vacante vacans, & cum intento intentus, & ſollicitus cum ſollicito. Denique ait*: Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilaverint ad me, invenient me. *Vides quomodo non ſolùm de amore ſuo certum te reddat, ſiquidem tu ames illum, ſed etiam de ſollicitudine ſuâ, quam pro te gerit, ſi te ſenſerit ſollicitum ſui. Vigilas tu? vigilat & ille.* Sed quomodo Deus cum perverſo perverſus eſt? Mutare ſuetum ordinem eſt pervertere, ut ſi ovis ferociam leonis, leo manſuetudinem ovis induat. Deus naturâ clemens, pius, miſericors, ſi nos immites, aſperos, immiſericordes habeat, ille immutabilis, quodammodo in immitem, rigidum, terribilem mutatur: ita Deus cum perverſis perverſus fit, cùm eum non ita clementem, pium, miſericordem experimur. Nimirum quales nos in alios ſumus, talis & Deus in nos eſt. Si Deum miſericordem cupimus, priùs ipſi miſericordes ſimus. Nihilominus ut illaudata noſtra parſimonia mantellum habeat, multa excuſamus. Frigidiſſimas aliquot excuſationes jã ſuprà diluimus, ceteras hoc capite diluemus.

*Pſal. 17. v. 26. & 27. Ita hunc locum Tertul. Clem. Rom. Hiero. Nyſ. Bern. explicant. Bern. ſerm. 69. in Cantic. fine, mihi pag. 776.*

### §. I.

8. Objectio. OBjiciunt igitur octavò: *Cur multi eleemoſynarum largiſſimi tot miſeriis ac calamitatibus involuntur?* Gregorius Magnus, Pontifex maximus, qui ante mille ac plures annos ſolium ſupremum tenuit, in eleemoſynas effuſiſſimus fuit, aſſiduis tamen morbis vexabatur, vix umquam ob virium imbecillitatem è lecto dimiſſus. Conſtantinus IX. Græcorum Imperator piæ liberalitatis mare habitus, ut plurimùm ægrotus, pæne continenter lecto affixus, tam chiragrâ quàm podagrâ, oppreſſus. Lydwina virgo in pauperes, quamvis & ipſa pauper, plus pæne diſtribuit quàm habuit; nihilominus ipſis triginta octo annis omni genere graviſſimarum ægritudinum miſerè jactata eſt. Sic alii plurimi eleemoſynarum quidem largi, non minùs tamen perpetuo ferè luctu & funeſtis caſibus attriti ſunt, perinde ſi Deus eorum eleemoſynas non curaret ac nihil æſtimaret.

Eſt profectò quod non leviter miremur, inter Chriſtianos hæc nova videri aut mira. Num illud Angeli ad Tobiam longè clariſſimum ignoramus? *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit ut tentatio probaret te.* Nec multùm, mi Tobia, tam paupertatis quàm cæcitatis tuæ cauſſas exquire: Deus amat te, ideo & flagellat te. Non eſt odium cauſſa flagellorum, ſed amor. Hoc ipſo quia Deo charus es, ideo & afflictus es. Hanc ipſiſſimã ob cauſſam, quia Deo fueras acceptus, ideo neceſſarium fuit, ideo non aliud fieri potuit, non debuit, quàm ut calamitas exerceret ac probaret te. *Tob. c. 12. v. 13.*

Infelicitas & res adverſæ probitatis in hoc orbe merces ſecuriſſima. Quòd aliquibus Deus centuplex fenus, dum vivunt, reddit, ad noſtram incredulitatem coarguendam id facit. At verò morbi, egeſtas, deprædationes, & omnigenæ miſeriæ, non minùs à Deo donum ſunt quàm valetudo, divitiæ, felicitas, & proſperi ſucceſſus. Quod Iacobus Domini diſcipulus dilucidiſſimè confirmans: *Omne gaudium*, inquit, *exiſtimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Tunc Deo vos eſſe pretioſos credite, cùm in camino afflictionis arſeritis. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem*, beatus, *quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Beatus ille, qui res adverſas tolerare novit, hîc enim è plumbo purum putum aurum eliquare didicit.

*Infelicitas & res adverſæ in hoc orbe merces ſecuriſſima.* *Iacob. c. 1. v. 2.* *Ibid. v. 12.*

Beatus à ſuis prædicatur M. Attilius, documentum fidei, documentum & patientiæ habetur, qui reſectis palpebris dolio clauis introrſum undique adactis clauſus eſt. Figebant cutem clavi, & quocumque fatigatum corpus reclinaſſet, vulneri incumbebat; in perpetuam noctem, ſuſpenſa cruciabantur lumina. Quantò plus tormenti, tantò plus gloriæ. Felix cenſetur Regulus: Quantò felicior Chriſtianus, qui eleemoſynas largitur, & in remunerationem adverſis obruitur, ut in beatorum ſede præmium tantò auctius recipiat, quãtò benigniùs ſua bona expendit, & quantò fortiùs acerba pertulit. Quod Paulus docens: *Licet is qui foris eſt*, inquit, *noſter homo corrumpitur; tamen is qui intus eſt renovatur de die in diem: Propter quod non deficimus.* Non deficiamus nec laborando, nec patiendo, nec erogando. Auri jactura nulla eſt, ubi patientiæ vel fidei lucrum. Eleganter ac verè dixit Chryſoſtomus: *Si rem perdideris propter Chriſtum, Chriſtus tibi rem reſtituere poteſt: ſi autem propter rem perdideris Chriſtum, res tibi non poteſt reſtituere Chriſtum.*

*Senec. lib. de provid. c. 3. & alibi ſæpius.* *Eleemoſynas largienti in adverſis auctius præmium remanet in cælis.* *2. Cor. c. 4. v. 16.* *Chryſ. in hom. 12. in c. 5. Matth. mihi pag. 726.*

### §. II.

9. Objectio. OBjiciunt nonò: *Quis tot mendicis ſatisfaciat?* Sed quo ævo nulli fuêre mendici? Lex priſca quidem in Iſraëlis populo ſanxit: *Omnino indigens & mendicus non erit in te.* Verùm id Oleaſter & Cajetanus, non præcepti, ſed promiſſi fuiſſe interpretantur. Perinde ſi divina ſuavitas promiſiſſet: Eâ te benedictione afficiam, ô Iſraël, ut nemo tuæ gentis ſtipem colligere cogatur. Palæſtina pingue ſolum & uberis glebæ geminas in anno meſſes, & poſt geminam trieteridem triplices tulit, vite, oleâ, ficu opimiſſima. Lactis & mellis rivuli Palæſtinam ditabant. Hîc non difficile fuit mendicitatem oſtiatim obeuntem cavere. Nihilominus ævo Chriſti, Lazarus, Bartimæus, alii mendici materiam benefaciendi præbuerunt: Veriſſimum Domini effatum. *Semper pauperes habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis.* Sed nec olim unquam defuerunt. Ideo lex Hebræorum monet: *Non deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum tuam fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum verſatur in terrâ.* Cùm ergo neceſſitas ſtringi legibus non poſſit, nec paupertati neceſſitatis ſorori leges inuri potuerunt. Si fodiendo victum parare non poſſit, paret mendicando. Hoc illius jus eſto, facere quod jubet neceſſitas.

*Deut. c. 15. v. 4.* *Matt. c. 26. v. 11.* *Deut. c. 15. v. 11.*

At verò, dices: Si paſſim permittatur mendicitas, homines otioſi ac bibuli ſtipem æquè colligent atque mendici ſenio fracti, viribus exhauſti. Ajo, ſi civitates ſint opificiis ac mercimoniis diverſis tam opulentæ, ut egentioribus omnibus aut obtrudi labor, aut victus expediri poſſit à publico ærario, ſaniſſimum

conſi-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

conſilium, ſi nemini liceat ad ſaccum ire & domos incuſare mendicationibus: ſin autem deſint hæc ſubſidia, fas ſit tueri vitam, & cibo paſci mendicato.

An benemeritis danda ſit eleemoſyna ſcrutari non licet.

At ego vereor, inquis, ne dem indignis, & ſtipem malè collocem. Nam ſæpenumero ſimulari aut exaggerari nimiùm ſolet egeſtas. Sunt valentes & juvenes mendici, qui aut heris famulari poſſent, aut parare victum ſuis ipſi manibus deberent. Sunt qui comeſſando ſua decoxerint. Sunt qui collatam ſtipem ludendo aut potando mox abliguriant. Sæpe etiam blanda & vaga mendicabula oberrant. Deinde quanto numero fæx iſta hominum incurſat domos? Quis omnibus ſatisfaciat?

Chryſ. to. 5. ſerm. ſing. mihi pag. 795. & ſeqq.

Mittamus, mi Chriſtiane, hæc verba, & has ſollicitudines ſupervacaneas. Et quæſo, non temere hîc ſuſpicemur, neque mantelum avaritiæ noſtræ & negandæ ſtipis colorem quæritemus, ut vel neceſſitates pauperum paſſim elevare, vel opes ſuperfluentes, ſtatui tamen neceſſarias, ſubtrahere illis præparci aſſueſcamus. Hoc agant curæ noſtræ vt demus; quàm ſanctis aut bene meritis demus, ſcrutari non eſt noſtrum. Chryſoſtomus hâc in re auream laxans facundiam, oratione ſingulari hoc ſedulò commendabat. *Ne ſcrutemur pauperes curiosè. Quid ſtipem depoſcentem ſcrutaris?* inquit, *quin illum ob Chriſti gratiam excipe. Nam ſi nimium fueris explorando curioſus, vel probum plerumque virum præteribis, faciéſque hoc modo futuræ & meritæ mercedis jacturam. Quamvis qui vel improbum pro Chriſto ſuſceperit, culpandus non erit, quin capiet pro eo & præmium. Nam qui prophetam ſub prophetæ nomine admiſerit, prophetæ mercedem accipiet: qui verò pro intempeſtiuâ hâc & ſupervacaneâ ſcrutandi curâ quempiam laude dignum parviſecerit, pœnas luet.* Quid nummulum aut panem ei negas, cui Deus ſolem non ſubtrahit? Agnoſce & te & mendicum unius patris eſſe filios. Attende Chriſtum qui Iudam impuriſſimum dignatur oſculo. Numquid illi dixit: Flagitioſe proditor, hominum perditiſſime, has mihi pro beneficiis reddis vices?

Tu igitur famem & egeſtatem, non mores petentis ſpecta; mendicus eſt, pauper eſt, etſi ſanctus & integer non ſit.

## §. III.

10. Objectio.

OBjiciunt decimo: *Ratio familiæ ac ſtatûs, æs alienum, ceſſans lucrum, hinc illinc emergens damnum, & ſi quid horum eſt, largiorem eleemoſynam impediunt.* Hîc obſecro non vacivas tantùm, ſed & veri patientes aures accommodate. Primum eſt cujus monuerim: Quoties pecuniæ veriùs perduntur quàm expenduntur; Eſt qui in ſphæriſterio, pilæ ludo pauculis horis triginta, quadraginta, plures florenos perdat: alius ad abacum luſorium aleâ centenos, trecentos, quingentos Philippeos excutiat: quanti conviviis prælautis ingentem edunt ſtragem in penore? ſi horum quis die uno triginta florenos in ſtipem expendiſſet, rem æternis annalibus digniſſimam à ſe patratam, aut damnum irreparabile rei familiari allatum cenſuiſſet. Et tamen tam pretioſus ludus, alea & convivia tam ſumptuosè identidem ac ſæpiùs repetuntur. Sunt qui omnem pæne cenſum in veſtes effundant. Sunt qui pecuniam in neſcio quas artificioſas nugas dilapident. A multis equi, canes, famuli numeroſi aluntur, à quibus ægrè ſtipem pertenuem extorſeris. *Canis tuus,* inquit Chryſoſtomus, *cibo fartus eſt, famulus tuus ſatietate rumpitur, at verò tuus & illius Dominus eſurit, Chriſtus tuus alimento caret neceſſario, fame perit.* Heu quàm fatuis perſuaſionibus noſmetipſos crebrò fallimus! quàm ſæpè cæcas ſupputamus rationes! nimirum juvenem illum ſibi ipſi præclariſſimum calculatorem imitamur.

Chryſ. to. 4. in 2. ep. ad Cor. ho. 17. mihi pag. 739.

Filium in ſtudia miſerat pater. Iuvenis à muſis A aversus Deas Edulicam & Patinam præcipuè colebat. Demum ſtudiorum & expenſarum rationes poſcens pater: Ter, inquit, hoc anno tibi pecunias miſi, universè centum octoginta florenos. Dic enimverò in quos uſus tantum pecuniæ conſumpſiſti? Ad iſta filius: Mi pater, ait, in academiis tam parvo non vivitur; alieni æris inſuper centum quadraginta florenos contraxi; nec aliter potui. Tu, inquit pater, tantum pecuniæ? Ergò trecentos viginti florenos anno unico abliguriſti? Cui placando filius: Obſecro, inquit, cogites velim, mi pater, nil gratis vendi, pretio grandi omnia indicari: cibus, potus, habitatio, ligna, veſtitus, lavandi pretium, quantum æris abſumunt? adde atramentum, libros, chartam, calamos, & complura alia, quæ profectò non gratis veneunt. Pater jam in fermento jacens: Age ſis, inquit, ſumptuum rationem computa. Faciam ut jubes, ait filius, & à minoribus B expenſis ordiar. Ergo pro calamis & atramento decem florenulos ſcribo. Mox Pater: Ceſſa, inquit, ceſſa, ceſſa; hic calculus tuus trecentos viginti florenos longè tranſcenderet.

Tam falſas rationes & nos ſubinde inferimus. Hoc abſumpſi donis ac muneribus, & adde non neceſſariis. Hoc veſtitu, ſed magnam partem non neceſſario; hoc ſympoſiis, hoc jentaculis & merendis, hoc conviviis, ſed minimè neceſſariis; hoc relaxatione animi & curioſitate, ſed neutiquam neceſſariâ; hoc in luſum, lyricines & choraulas, rem ſcilicet neceſſariam; hoc in ſupellectilem & ſarta tecta expendi. Quis in tātâ ſumptuum varietate multum eleemoſynis recondat? Ceſſate, obſecro, ceſſate rationes inferre tam abſurdas. Vbi tot expenſæ non neceſſariæ, ibi eleemoſynæ plerumque curtæ aut nullæ.

Iudit. c. 7. v. 6.

Dæmō facit ut per expenſas non neceſſarias facultates minuātur & deſit quod in eleemoſynas conferatur.

Holofernes Dux Aſſyrius cùm obſidione cingeret Bethuliam, jâmque ipſe civitatis mœnia circumiret, C obſervavit fontem alveo in urbem duci, juſſit igitur hunc aquæ ductum obſtrui & aliò averti. Hinc civitas aquæ penuriâ laborare cœpit. Holofernes orcinianus, orbis circitor diabolus hoc ſolertiſſimè agit, ut per ſeductos rivulos, per expenſas non neceſſarias ita minuat facultates, ut deeſſe videatur quod in eleemoſynas conferatur. Ante annos triginta circiter hortenſe ſtudium exarſit in herbulas & flores exoticos, in tulipanas & bulbos. Hos adeò ambitiosè conquirebant, & quæſitos ita anxiè fovebant & tuebantur, vt nulla mater ſuum filiolum. Horum litteræ in Thraciam, Græciam, Indiam diſcurrebant, exigui ſeminis aut bulbuli cauſſâ. Hîc nullis parcebatur ſumptibus. Turpe eſt dicere, quot aurei non rarò in unicum ejuſcemodi florem expenſi. Tot aureos mendiculo dediſſe piaculum dixiſſent, & grande nefas, diſpendium rei familiaris maximum proclamaſſent. Ita etiamnum, ſed in alia atque alia deperdendo D rem inſanimus: tunc ſolùm parci, tunc homines frugi ſumus ſcilicet, cùm eleemoſynæ crumenam vocant.

## § IV.

HIc mihi duas arbores conſiderate, Tiliam proceram, & Pomum modicam. Illa ramos & brachia explicat latiſſimè, gratam diffundit umbram, infeſtas arcet pluvias, odoriferis triumphat floribus: ſed pomum aut pyrum nec quidem unicum edit, à fructibus ſteriliſſima. In horto contrà ſtat Pomus non maximæ ſtaturę, & ultra quatuordecim millia pomorum fundit. Quæ cauſſa diſparitatis tantæ? Tilia pulchra quidem arbor, ſed infructuoſa, quidquid alimenti trahit è terrâ, in truncum, in ramos, in folia conſumit; at fertilis Pomus id omne in fructus mittit. Ita plurimos reperias homines opulentos ſucci plenos, auro validos, qui amplas fundunt radices, brachia diducunt

*Mihi viſa & guſtata.*

diducunt, comas jactant, ſumptuosè vivunt; ſed miſericordiæ fructus in eis quære, & nullos invenies. Hîc mendicorum fames in cruce pendet. E diverſo reperire eſt opifices mechanicos, qui tenuem victum manu comparant, & ægrè, nihilominus ſtipem promptè largéque conferunt, nonnunquam ultra vires. Iam cauſſa in liquido eſt, illorum ſuccus omnis in frondes & folia, iſtorum in fructus egerminat.

Hominum tenacium & divitum præclara effigies.

Et en præclaram effigiem hominum eorum qui divites ſimul & tenaces ſunt. Nabal copioſus & locuples, ſibi ipſi benignus & liberalis, immitis fuit aliis. Regum faſti de eo ſic loquuntur: *Et ecce erat ei convivium in domo ejus, quaſi convivium regis, & cor Nabal jucundum.*

1. Reg. c. 25. v. 36.

Cùm autem David inſidias Saulis fugiens à Nabale ſibi ſuiſque copioſis non aliquot plauſtra vino & panibus onuſta poſceret, ſed modeſtiſſimè: *Quodcumque invenerit manus tua, da ſervis tuis, & filio tuo David.*

Ibid. v. 8.

Ibid. v. 11.

Hîc Nabal elato ſupercilio. *Tollam ergo panes meos,* inquit, *& aquas meas, & carnes pecorum quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris, quos neſcio unde ſint?* Ita nec unicum panem, nec vel ſextarium vini dedit. Ea res Deo ſupra modum diſplicuit. *Cúmque pertranſiſſent decem dies, percuſſit Dominus Nabal & mortuus eſt.*

Ibid. v. 38.

Hoc opulentæ tenacitatis præmium fuit. Siracides dicta ſtabiliens: *Tres,* inquit, *ſpecies odivit anima mea: Pauperem ſuperbum, & divitem mendacem, & ſenem fatuum & inſenſatum.*

Eccli. c. 25. v. 3. & 4.

Auguſtino dives mendax eſt, qui in his quæ ad Deum pertinent, ſuum illud frigidiſſimum toties repetit: Non poſſum; non poſſum carnem meam macerare; non poſſum inediam tolerare; non poſſum jejunium ſervare, humi cubare non poſſum; diu genibus niti, precationes longas inire non poſſum. In his omnibus aliquid veniæ demus homini delicato & diviti. Sed ſi dixerit, eleemoſynas dare non poſſum: en divitem mendacem, tam Deo quàm hominibus exoſum. *Iudicium enim ſine miſericordiâ illi qui non fecit miſericordiam.* Par pari reſpondendum. *Superexaltat autem miſericordia judicium.*

Iac. c. 2. v. 13.

Iudicii victrix miſericordia præ illo altius tribunal habet, itáque illud ſuperat. Quemadmodum ab electoribus Imperii Romani Septemviris ad Imperatorem, à purpuratis Patribus ad Pontificem eſt provocatio, velut à minore ad majorem curiam; ita miſericordes à Iudicio appellant ad Miſericordiam: qui ad Iudicii tribunal ſtabant mœſti & dejecto capite, ii ſtant erecto ad tribunal Miſericordiæ, nigrum theta non formidantes, ſed candidam & felicem literam exſpectantes. Sicut oleum aquam ſupernatando vincit, ſic miſericordia judicium. Quem juſtitiæ conſignatio condemnat, hunc liberat miſericordia.

*Niſi quis ſingulariter hic eximius.*

Tantò fidentiore animo dixit Hieronymus: *Non memini me legere, malâ morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos interceſſores, & impoſſibile eſt multorum preces non exaudiri.* Grandius quid Tobias dixit: *Eleemoſyna ab omni peccato liberat, & non patietur animam ire in tenebras.*

Hier. ad Nepotian.

Tob. c. 4. v. 11.

§. V.

SEd dices: Quid enim mali facio, quando aliena non invado, ſi propria diligentiùs ſervo? Si ego quod res eſt, mi homo, liberiùs reſponderem, forſan id iniquiùs ferres: Reſponſum igitur ab Ambroſio accipe: *O impudens dictum,* exclamat Ambroſius, *propria dicis? Quæ? Ex quibus reconditis in hunc modum detuliſti? Quando in hanc ingreſſus es lucem, quando de ventre matris exiſti, quibus, quæſo, facultatibus, quibúſque ſubſidiis ingreſſus es? adventum tuum in hunc mundum à Paulo diſce. Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium quòd nec auferre quid poſſimus.*

1. Tim. c. 6. v. 7.

Terra communiter omnibus hominibus data eſt: proprium nemo dicat, quod è communi plus, quàm ſufficeret, ſumptum & violenter obtentum eſt. Non minus eſt criminis habenti tollere, A quam cùm poſſis & abundes, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt, quem tu detines; nudorum indumentum eſt quod tu recludis; miſerorum redemptio eſt pecunia quam tu in terram defodis. Tot ergo te ſcias invadere bona, quot poſſis præſtare ſi velis. Bona quidem, ais, ſunt verba, ſed melius eſt non carere ſubſtantiâ.

Tantum quis peccat eleemoſynas non largiendo, quã aliena furando.

Hîc rurſus Ambroſius: *Qui,* ait, *obedire non vult, & negligit, manifeſta eſt ignis æterni comminatio. Qualis tibi horror, qualis ſudor, quales tenebræ ſupervenient audienti condemnationis illius ſententiam:* Diſcedite à me maledicti: Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare? *Neque enim his verbis, qui alia invaſit, arguitur, ſed qui non communiter uſus eſt iis quæ habuit, condemnatur. Verùm tibi quoniam Deus venter eſt, & totus ſervus es carnis, audi dignam appellationem, quâ te non hominum quiſquam, ſed ipſe Dominus appellat. Ait enim:* Stulte hac nocte auferetur à te anima tua, & quæ præparaſti, cujus erunt? *Ipſis illis æternis cruciatibus major eſt ſtultitiæ nota. Qui enim paullò*

Ambr. to. 5. ſerm. 18. mihi pag. 895. & ſeqq.

Matt. c. 25. v. 41. & 42.

Luc. c. 12. v. 20.

B *pòſt rapiendus è vitâ, quæ cogitat?* Deſtruam horrea mea. *Cui ego reſpondeo: Et rectè quidem facis, nam verè deſtruere debes horrea iniquitatis, & ea quæ malè ædificaveras, tuis ipſe manibus ſubvertere; deſtruere promptuaria, ex quibus nullus miſericordiam conſecutus; eſt dejicere Mammonæ tetra domicilia.* Deſtruam, *inquit,* horrea mea, & majora ædificabo. *Quòd ſi & iſta repleveris, quid quæſo facturus es? Iterum ſine dubio deſtrues, & iterum ædificabis. Et quis finis vani hujus & ſtulti laboris? inſtanter ædificare, & inſtantiùs deſtruere? Si vis oſtendam tibi horrea jam parata, eſurientium pauperum ventres, in ipſis tuos reconde theſauros. Sed dicis: Cùm ſecunda horrea replevero, tunc dabo pauperibus. Longos tibi promittis annos, & lata vitæ ſpatia polliceris. Talis promiſſio non futuram continet humanitatem, ſed præſentis miſericordiæ dilationem. Quid miſericordiam in craſtinum differs, hodie immiſericors? Neſcis quid ſuperventura pariat dies.*

Ibid. v. 18.

C Idcirco, quod etiam Chryſoſtomus monet, *ſparge ſuperflua in pauperes, & quod invitus fortaſſe paullò pòſt ipſis inimicis es ceſſurus, idipſum volens depone; tuáque fac, quæ tua nunc non ſunt. Opes cuſtoditæ fugiunt, diſtributæ manent. Multâ igitur utamur eleemoſynâ. Ipſa enim eſt Regina virtutum, quæ illic cum fiduciâ aſſiſtet & eripiet à tormentis.* Aureas habet alas Eleemoſyna, non pulchras tantùm, ſed & robuſtas, quibus volare cupientem facilè ad alta evehat. Aude non amare pecuniam, eáque alienam ſubleva inopiam, & jam terris altior incedis, jam volas, jam cælum petis. *Beati miſericordes.*

Chryſ. to. 5. ho. de pæn. mihi pag. 744. & ſeq.

Eleemoſyna eſt regina virtutum.

Matth. c. 5. v. 7.

## CAPVT IV.

### *Quæſtiones aliquot exponuntur quandónam dandæ ſint Eleemoſynæ; ex quibus bonis; quid potiſſimùm Eleemoſynas corrumpat.*

D SYNESIVS Cyrenes Epiſcopus, vir eruditiſſimus, complura ingenii ſui monimenta in lucem dedit. Habuit is inter primæ admiſſionis amicos Evagrium philoſophum in paucis charum, ſed nondum Chriſtianum. Hunc Syneſius diſciplinis Chriſtianis imbuere plurimum laborabat. Evagrius homo ſui cerebri, & diu refractarius, virum Hebræum crucifixum pro Deo colere conſtanter recuſabat: nec tamen labore aut tædio victus Syneſius ſaluberrimis monitis quotidie hominem urgere inſtitit. Ad quæ demum philoſophus: Duo ſunt, inquit, mi Domine Epiſcope, in re Chriſtianâ, quæ nulla ratio, philoſophia nulla ſatis capiat. Primum eſt: Vos Chriſtiani neſcio quod principium, ſed & finem mundi ſomniatis, & hæc ipſa noſtra corpora, poſtquam in vagos cineres abierint, eadem reditura in vitam immortalia. Alterum eſt: quidquid pauperibus datur, fenore reddi centuplo.

Zonaras [...] 3. Ioannes Moſchus [...] prat. ſpir. c. 195 [...] pag. 524 [...] ex Baron. to. 5. ad annum 411.

Duo in re Chriſtiana quæ nulla ratio, philoſophia nulla ſatis capiat.

Hæc

Hæc talia fabulæ ſunt, & merum ſomnium, nec in philoſophiâ quidquā fundamenti habent. Contra Syneſius copioſâ diſſertatione docuit, nil verò contrariū hîc aſſeri. Neque verò hæc ad philoſophiæ trutinam expendēda: ſublimiora eſſe quàm quæ humana lippitudo primâ facie poſſit penetrare. Salubriter ſe tactum ſeſit Evagrius, at nihilominus ſuæ opinionis tenax domum abjit. Hæc ubi ſecum ipſe ſępius repetiit, decrevit manus dare victori Syneſio, à quo demum unà cum filiis & omni familiâ ſacro fonte tinctus eſt. Atque ut in rem præſentem veniret, tria auri centumpondia in egenos partienda obtulit Epiſcopo, ſi ſyngrapham dare velit Chriſtum ea redditurum. Nec Syneſius iſtud recuſavit.

Evagrius jam Chriſto adjunctus annos aliquot exegit. Morbo denique graviore correptus, jámque filiis ad ſe accerſitis: Cùm, inquit, cadaver meum ad ſepulturam compoſueritis, hoc chirographum manui inſerite, & unâ mecum ſepelite. Factum quod juſſit. Tertio die à funere defunctus Epiſcopo ſe ſtitit, tumulum ſuum reſerari & chirographum inde auferri juſſit; ſibi abundè in omnibus ſatisfactum, &, ne dubitandi locus eſſet, ejus rei teſtimonium ſuâ manu ſubſcriptum eſſe affirmavit. Neſcierat autem Syneſius chirographum ſuum unâ cum mortuo ſepultum. Luce poſterâ vocatis ad ſe filiis, An, inquit, cum parente veſtro ſcripti quippiam ſepeliiſtis? Schedam, aiunt, quam morti proximus ſecum juſſerat humari, nemine id ſciente. Epiſcopus narrato ſomnio, ſacerdotes & urbis primates ad philoſophi ſepulchrum duxit: eo aperto recens Evagrii ſyngrapha eſt inventa conceptiſſimis his verbis ſcripta:

Evagrius philoſophus ſanctiſſimo domino Syneſio ſalutem. Accepi debitum in his litteris manu tuâ conſcriptum. ſatisfactúmque mihi eſt; nec ullum contra te jus habeo quod dedi tibi, & per te Chriſto Deo Salvatori noſtro.

Obſtupuêre omnes, & horis aliquot clamavêre Kyrie eleiſon. Sed & gratias egêre Deo, qui ſuas promiſſiones tam illuſtri miraculo firmaſſet. Atque hoc Syneſii & Evagrii conjunctum chirographum in primariæ Cyrenenſis ædis ſacrario ſervatur. Templi cuſtos jurisjurandi religione ſe obſtringit, ad chirographum illud unà cùm ceterâ ædis ſupellectile à ſe fide optimâ, diligentiâ ſummâ tuendum, & conſignatum in ſucceſſoris manus tradendum.

Hîc ego cùm Marone proclamem:

*Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?*

*Virg. l. 6. Æneid.*

Etiamnum tergiverſamur calamitoſos alii alios beneficiis proſequi?

Eleemoſynas eſſe dandas diximus: Dandi modum expoſuimus: Diverſas objectationes diſſolvimus. Sequuntur quæſtiones, quibus reſpondendum.

§. I.

Bonorum differētia.

QVæſtio prima. Quandónam danda eſt eleemoſyna? Theologi hîc facē prælucent aſſignando facultatum & bonorum diſcrimine. Sunt enim facultates, quæ *Bona vitæ*, [a] alia quæ *Bona ſtatûs* [b] appellāt; alia quæ utrique ſunt ſupervacanea. Tempora item, alia *cōmunem*, alia *gravem*, alia *graviſſimam*, alia *extremam* inopum neceſſitatem habent. Bona vitæ victum & amictum neceſſarium ſubminiſtrant. Natura paucis contenta, panis fruſto, offulâ, oluſculo, pulticulâ diē unum facilè ſolatur; tegi cupit, & arceri à ſe frigus, nō ad elegantiam veſtiri; ſuſtentare vitam, non pompam explicare deſiderat. Et hoc à vitæ bonis non ægrè impetrat. At verò *Bona ſtatûs* ampliora ſunt, quæ non unam alterámve veſtem, non unum alterúmve ferculum permittunt, ſed pro ſtatûs ratione & illa & iſta numero majore. Hinc arcæ veſtibus, menſæ ferculis onerantur, quod ſtatui convenire dicimus. Quod facultatum remanet, cùm vitæ ac ſtatui ſatisfactum, inter bona ſuperflua cenſetur. Hæc in anteceſſum exactiùs conſideranda. Concluſiones jam ſubjungimus.

*a Hæc etiam à Theologis Bona naturæ, ſeu Bona ſimpliciter vocantur.*

*b Iſta perſonæ, ſeu ſecūdùm quid Bona dicuntur.*

1. Concluſio.

*Probabilis Theologorū compluriū ſententia.*

Concluſio I. De bonis ſimpliciter redundantibus per ſe danda eſt eleemoſyna, non ſolùm in extremâ (quod nemo dubitat) ſed etiam in gravi neceſſitate inopis, idque ſub mortifero peccato. Suadet hoc præter legem divinam efficax ratio. Nam præceptum eleemoſynæ obligat ex ſuo genere ſub lethali culpâ, nec excuſationem admittit, niſi in materiâ levi. Quòd autem inclementiùs hæc aliquibus in divites dici videntur, ut quos ſæpe ſæpius noxæ mortiferæ reos hæc concluſio faceret, id ipſimet imputent ſibi, & eò crebriùs ſtipem impendere aſſueſcant, ne diſcrimini huic objiciantur. Neque enim primi nos ſcitum illud promulgamus, difficilius *ingredi divitem in cælum, quàm camelum per foramen acûs*. Neque de nihilo dictum eſt à Chriſto, multos damnatum iri, eò quòd opera miſericordiæ non præſtiterint, in potu, cibo, veſtitu ſuppeditando. Cùm tamen rarò accidat in his ut pauper aliquis extremè, ſæpiùs verò ut graviter egeat. Vnde colligunt non abſurdè multi, complures divites condemnandos eſſe, ob eleemoſynas non tantùm in extremâ, ſed etiam in gravi aliorum neceſſitate neglectas.

Præceptū eleemoſynæ obligat ſub mortali culpâ.

*Matt. c. 19. v. 24. Marc. c. 10. v. 20. & Luc. c. 18. v. 25.*

*Ita S. Tho. 2. 2. q 66. ar. 7. Ita alii. Ita Iac. c. 5. v. 1. Ioan. c. 3.*

2. Concluſio.

Concluſio II. E bonis verè ſupervacaneis eleemoſyna in pauperes tribuenda eſt etiam tempore communium ac leviorum neceſſitatū idque ſub obligatione letalis culpæ. Non ita tamen quaſi divites in ſingulis omiſſionibus letaliter delinquant, ſed conjunctim in multis & pæne aſſiduis, aut in propoſito negandæ ſtipis extra gravem vel extremam neceſſitatem. Hîc alios aliter ſentire non negandum. Nos à priori ſententiâ cenſemus ſtare veritatem. Chryſoſtomus certè non Tullianum aut breves Gyaros, [a] ſed & gehennas & inferos minatur iis, qui avaras manus retrahunt ab egenis. *Peribunt*, inquit, *peribunt, qui Chriſtum non aluerunt*. [b] Quod confirmans, & apertiùs multóque expreſſiùs tradens; *Nam eleemoſyna neglecta*, inquit, *quamvis virtutis quædam pars, non ipſa univerſa virtus ſit, in gehennam tamen intrudit. Nam & virgines*, [c] *quia ipſam non habuerunt, punitæ ſunt. Et dives hâc de cauſâ in inferno torquetur, & qui eſurientem non cibârunt, unà cum diabolo condemnantur. Ego verò majus quiddam habeo dicere. Non enim ſolùm una quædam particula virtutis omiſſa cælum nobis claudit, verùm etiam ſi non congruenti curâ & ſtudio peragitur, illud ipſum ſolet inferre.* [d] Niſi enim ſuperabundaverit, *inquit*, juſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. *Et quantum illi præbebant? inquies. Id jam ipſe etiam dicere volebam, ut & qui non dant, incitentur ad dandum: & qui libenter offerunt, non ſuperbiant, ſed plura dare conentur. Quantum igitur illi præbebant? Decimā primò rerum ſuarum omnium, deinde alteram, & demum tertiam decimam offerebant. Itaque propemodum tertiam partem præbebant.* [a] *Sed adhuc primitias quoq; ac primogenita, & alia plura partim pro peccatis, partim pro purgationibus offerebāt, &c. Si autem qui tertiam partem, imò verò mediam rerum ſuarum offerebant, aſcendent nempe ad medietatem omnia unà cōgregata: ſi qui mediam, inquam, dabant, nihil magni operabantur; quid tu facies, qui nec decimam quidem partem pauperibus unquam dare cogitaſti? Quare non injuriâ paucos fore ſalvos quidam dicebat. Non negligamus igitur exactam atque exquiſitam vivēdi diſciplinam. Sed quænam, inquies, ſpes ſalutis nobis reliqua eſt, ſi ſingula omiſſa in gehennam depellere poſſint? Hoc ipſum eſt, quod etiā ego magnâ voce conclamo. Verūtamen ſi attendere voluerimus, non eſt impoſſibile ſalvari præſertim ſi eleemoſynæ remedia mutuemur, quibus vulnera noſtra diligenter curemus. Non enim ſic oleum corpus hominis roborat, ut animam miſericordia ſtabilit, adeóque confirmat, ut à diabolo ſuperari nequeat. Hoc igitur ſciens, ſuperflua quæque amputa, ſícque pauperibus ſupplementum.*

*Chryſ. hom. 8. in epi. ad Coloſſ.*

*a Gyarus aut Gyara inſula exigua, in quā Romani noxios ſuos deportabāt.*

*b Chryſ. 10. 2. in c. 10. Matt. hom. 65. mihi pag. 473.*

*c Virgines fatuæ carētes oleo.*

*d Matt. c. 5. v. 20.*

*a Omnium bonorū ſuorum.*

*Idem ho. 5. ho. 7. de pœnit. mihi pag. 744.*

Ab ore & calamo Chryſoſtomi hæc monita ſunt. Atque hæc de bonis vitæ ac ſtatui ſupervacaneis.

§. II.

*3. Concluſio.*

CONcluſio III. Præceptum eleemoſynæ de bonis ſtatui neceſſariis dandæ obligat ſub letali culpâ, non ſolùm in extremâ, ſed etiam in graviſſimâ neceſſitate privatæ perſonæ, dummodo ſine magnâ jacturâ ſtatûs id fiat. Verus amoris ordo eſt, ut quiſque pluris æſtimet alterius vitam in extremis laborantem quàm proprium ſtatum. Siquidem lex divina imperat: *Diliges proximum tuum* [a] *ſicut teipſum*. Hinc ille qui ſic diligendus eſt, in extremâ inopiâ jus naturale habet, ad utendas, imò & auferendas res alterius ſtatui neceſſarias Huc illud convenientiſſimum: *Qui habet* [b] *duas tunicas, det non habēti; & qui habet eſcas, ſimiliter faciat*. Hinc ditior aliquis, quamquam non habeat eſcas niſi ad ſuæ vitæ ſuſtentationem neceſſarias, ſi tamen habeat duas tunicas, ſoli ſtatui neceſſarias, alteram harum vendere debebit, ad eſcas extremè famelico comparandas. Si verò veſtem habeat, eamque unicam, ſed pro ſtatûs conditione pretioſiorem, debebit itidem eâ divenditâ duas inde viliores coëmere, alteram ad ſeipſum, alteram ad pauperem in extremâ nuditate operiendum. Extremæ neceſſitatis indicia videntur eſſe diuturnior fames, fœda nuditas, complura ulcera, deformes morbi. Hîc ſuccurre quocumq; poteſ modo: Horrendum vetus illud: *Si non paviſti, occidiſti*. Hebræus epulo, non quia occidit, ſed quia non pavit, torquetur,

*Vita proximi in extremis laborantis pluris æſtimanda, quàm proprius ſtatus.*

*a Matth. c. 19. v. 19. & c. 22. v. 39.*
*b Luc. c. 3. v. 11.*

*Extremæ neceſſitatis indicia quæ.*

*4. Concluſio.*

Concluſio IV. Idem præceptum de bonis ſtatui neceſſariis erogandis obligat etiam in gravi neceſſitate tam Reipublicæ Politicæ vel Sacræ, quàm perſonæ primariæ, quæ valdè neceſſaria ſit Reipublicæ. Eſt enim bonum publicum privato anteferendum. Cùm autem privatus quiſque in Reipublicæ bonum vel ipſam vitam prodigere debeat, quantò magis grave damnum pro illius gravi damno avertendo tolerare debebit, ſi videat id aliter averti non poſſe? Eadem pæne ratio eſt perſonæ primariæ, à cujus incolumitate ſalus Reipublicæ dependet. Nam illius gravis neceſſitas ad gravem boni communis neceſſitatem quadam conſecutione extenditur.

*Bonū publicū privato anteferendum.*

*5. Concluſio.*

Concluſio V. In extremâ neceſſitate Reipublicæ aut perſonæ ad commune bonum valdè neceſſariæ, obligamur ex bonis etiam ad noſtram vel noſtrorum vitam tuendam ſimpliciter neceſſariis ſuccurrere, idque ſub mortiferâ noxâ. Hîc naturam ſequimur magiſtram, quæ totum parti, publica privatis anteponit, cùm par utrobique urget neceſſitas. Ita ut ſi mihi eò loci ac temporis vel unica ſit veſtis, cibus unicus, hanc tamen & veſtem, hunc & cibum Reipublicæ ſic extremè laboranti cogar impendere.

*Ita & hîc boni Theologi ſentiunt.*

§. III.

*Eleemoſyna non ex alienis, nec ex malè partis dāda.*

QVæſtio ſecunda. Ex quibus bonis danda ſit eleemoſyna? Non ex alienis, nec ex iniquis, aut malè partis. Tua expone, non aliena. Facilis eſt liberalitas è marſupio non tuo. Poteſt quidem & ſervus exhibere ſtipem, ſed è ſuâ non domini crumenâ, niſi dominico conſenſu expreſſo, vel certè, vt Theologi loquuntur, prudenter præſumpto; niſi forſan alterius extrema neceſſitas expectare conſenſum non poſſit. Nec è bonis illicitè acquiſitis laudandæ prodeunt eleemoſynæ: non rapina, non furtum, non uſura, non fallacia nummaria, non donatio coacta Chriſti gazophylacium ditant. Apage has opes à pauperum ærario. Illa omnia non egenis largienda, ſed dominis reſtituēda ſunt. Non poſſunt, inquis, reſtitui ob infamiæ certum periculum, aut alias certè ob cauſſas. Fiat igitur reſtitutio per hunc ipſum eleemoſynæ modum: Pecuniam furtivam pauperes in locum domini recipiant. Quòd ſi bona iniquè ac malâ fide ſint acquiſita tā ratione dātis quàm accipiētis: ut ſi quis alteri rem ſacram vendat per ſimoniam, is, qui eam accipit, dominium illis non acquirit; & hoc ipſū qui dat, in peccati pœnam amittit. Hinc totum hoc in eleemoſynas inſumendum.

*Sin eadem numero, ut veſtes aut bona ſtabilia ſint reddenda, pauperes ea retinere non poſſunt, ſi-quidē ſciant reddenda, & poſſunt reddere.*

Liceat hîc tertiam quæſtionem attexere, & uno rogatu quaſi per ſatyram, plura cōplecti, atque ita diverſos eleemoſynæ nævos ſub unum aſpectum collocare.

Quæſtio tertia. Quæ potiſſimùm eleemoſynas impediant fœdent, ac corrumpant?

*Eleemoſynā impedientia: 1. ingens & turpiter conſtans veſtium luxus.*

Primum eſt, ingens & turpiter conſtans veſtium luxus. Sanciuntur quidem leges optimæ, diverſæ ſtatuuntur mulctæ, clamant è cathedris eccleſiaſtæ, & abominandum hunc luxum inſequuntur. Fruſtra omnia. Leges profani calcant, mulctas eludunt, conciones ſurdis auribus tranſmittunt. Nihil fit. Ita luxus non ſolùm feliciter ac conſtanter pergit, ſed & in dies augeſcit. Hinc quantò plus pecuniæ in veſtes expenditur, tantò minùs in egenos diſtribuitur. Hinc illæ voces inertiſſimæ: Non habeo, non poſſum. Et haberes, & poſſes, ſi veſtitûs pompam coërceres. Obſerva fures. Tuas tibi eleemoſynas, ſed te volente, ſartores ac mercatores furantur. Moderare veſtitui, & non deerit, quod in ſtipem largiaris.

*2. Sumptuoſa nimium convivia.*

Alterum eſt, ſumptuoſa nimiùm convivia. Deus bone, quàm multò frugalius fuit ſuperius ſæculum, atque hoc noſtrum, non veſtitûs ſolùm, ſed & conviviorum luxu planè perditum. Rem miriſſimam audite. Anno Chriſtiano milleſimo quingenteſimo quinto, ante annos non plures quàm centum triginta, ipſis cineralibus Argentorati concionatus eſt in æde ſummâ Ioannes Gailer Kaiſerſpergenſis vir oppidò eruditus & liberi oris. Cæperat is intemperantiam & ferculorum copiam dictis convellere. In Quadrageſima, inquit, ferculorum prodromus præſultat offa; hanc ordine ſequuntur aſſæ haleces, has frixi piſces comitantur, dein olus conciſum, iſtud deducit jus atrum piperatum aut pulmentum: hoc menſa ſecunda excipit; ita quinque vel ſex fercula ponuntur. Et cuinam, inquit, ſua hîc ſalva ſit temperantia? Addit: Hoc ipſum in menſis principum fit, ubi ſubinde novem apponuntur fercula. Superi! Quid iſtud prodigii fuit ævo illo in principali menſâ novem fercula? Ridemus affatim. Iam opificum & ruſticorum, jam textorum, cerdonum, & ſartorum menſæ cibatum copioſiorem oſtentant, numeroſiore ſuperbiunt miſſu, convivia dant numeroſiora; duodecim, quindecim, & pluribus ferculis triumphant. En, obſecro, ante annos centenos in menſis principum novem miſſus ut prodigium è ſuggeſtu proclamantur. Vixiſſet hic eccleſiaſtes noſtro hoc ævo, hem quale prodigium dixiſſet, ſi in ditioris ſcribæ, aut pedarii ſenatoris, aut dynaſtæ non ditiſſimi, menſâ ſpectaſſet ipſa quinquaginta à foco fumantia fercula, & totidem ſecundæ menſæ pateras bellariis & tragematis diſtinctas! Quàm porrò portentorum Lernam dixiſſet Kaiſerſpergenſis, ſi in menſâ unius alicuius Baronis ipſa trecenta fercula numeraſſet. Prodigioſam hanc extremè & prodigam inſaniam noſtrum hoc ævum ſpectavit. Hęc illa patrimoniorum & eleemoſynarum vorago eſt.

Magnâ olim Romæ penuriâ convivium dabat Auguſtus Imperator convivis Deorum ac Dearum habitu accumbentibus. Poſtero die clamatum eſt publicè, Deos omne frumentum comediſſe. Hîc pœne idem vociferandum. Stipem & eleemoſynas ferè omnes ſæpiſſime devorant convivæ. Nam poſt tam lauta & ſumptuoſa convivia plerumque fatua ſequi ſolet parſimonia, quæ tum demum rei familiari egregiè conſultum credit, ſi ſuæ pauperibus ſportulæ negentur. Conviviorum luxus, eleemoſinarum interitus.

*3. Rapinæ palliatæ & ſpeciem honeſtatis mentientes.*

Tertium eſt, priori non multùm abſimile. Rapinæ palliatæ, & ſpeciem honeſtatis mentientes. Inter rapinas numerandum, domeſticos famulos & ancillas, ceterám-

ceterámque familiam præparcè, ſordidéque nimis alere; péſiunculas iis tam tenues dare, ut nonnunquam vix inde ſibi calceos aut veſtimentorum aliquid parent, cibos iis non multò meliores quàm canibus apponere, offam penitus exoculatam, lavatrinam diceres, carnes bubulas rariſſimè, eaſque non niſi fœtidas, aut ferinam vermibus bullientem obtrudere: quotidie in talibus menſis tam prandii quàm cenæ caput eſt olus acidum; panis, ſi colorem, ſi pondus, ſi faciem totam videas, terram æmulatur, adeò ater, ponderoſus, aſper eſt. Ita ſubinde cives opulenti, ita nonnunquam viri nobiles in ſuis ædibus familiam paſcunt, cibos aut malè ſordidéque coctos, aut eâ ponunt parſimoniâ, ut nec fami ſatis reſponderi poſſit. Hinc domeſtici ob cibum tam parcum aut ſordidum, ob penſionem tam tenuem peſſimas docentur artes, & ad furandi licentiam adiguntur.

Ad claſſem hanc ſpectat, opificibus mechanicis debitam imminuere mercedulam, ruſticos opere gratuito & vecturis imperatis vexare, & nec pane quidẽ fatigatos reficere. Hæc ejuſcemodi ſunt quæ laudem eleemoſynis omnem ſubtrahant: quid enim virtutis eſt, furari corium, & mendicabulo donare calceos. Mechanicos, ſubditos, domeſticos ſuos fraudare, & in pauperes munificum videri velle peſſimè cohærent. Hortatus Galatas Paulus: *Operemur bonum ad omnes,* inquit, *maximè autem ad domeſticos fidei: ſi quis ſuorum & maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Hortatus & Iſaias ſuos: *Cùm videris nudum,* inquit, *operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris.* Velut caro tua domeſtici tui ſunt, ſi qui veſtibus egeãt, ſi qui famem ſentiant, experiantur te patrem. Scias & dominum & ſervum, regem & mendicum ex eodem conſtare luto. Curam igitur tuorum age; miſericors eſſe à tuis incipe.

*Gen. c. 6. v. 10.*
*1. Tim. c. 5. v. 8.*
*Iſa. c. 58. v. 7.*

Quid verò de iis ſentiendum, qui frumentum in maligniores annos recondunt, frugum pretium incendunt, annonam vexant, nihil è ſuis granariis niſi ſummo pretio divendunt? In hos facundia Chryſoſtomi exardeſcens: *Quando autem,* inquit, *& recludis frumentum, & pretium auges & novas alterius negotiationis vias excogitas, qualem tunc ſalutis ſpem habiturus es? Gratis juſſus es dare eſurienti; tu autem neque juſto pretio vendis: Chriſtus propter te tantam gloriam exuit, tu autem illum neque pane dignum cenſes: canis tuus impletus eſt, miniſter tuus præ ſatietate rumpitur: tuus autem & illius dominus neceſſario alimento caret. Chriſtus fame perit.* Hæc reverà ſtipem non commendant, ſed fœdant & corrumpunt.

*Chryſ. to. 4 in ep. 3. ad Cor. ho. 17. mihi pag. 729.*

Atque ut plura paucis complectar, omni decore miſericordiam ſpoliat, eleemoſynas tardè, cunctanter, moroſè, inhumaniter, præparcè, avariter, coactè, jactanter, non de ſuo, fine non recto, animo non benigno dare. *Eſt,* inquit aureus orator, *qui non acquirit, niſi alius fleverit; qui lucra non condit, niſi alius gemuerit; cui ſoli bonum eſt, quod publicum malum eſt, dum aut fructus ſervat, aut annonam captat, aut pretia inflat, aut fœnus exaggerat, dum acquirendi lucra per nocendi exquirit ingenia. Poteſtne talis miſericordiæ implere officia, cui pupillorũ dulcis eſt gemitus, & viduarũ ſuavis eſt fletus, dum prædâ hujuſmodi paſcitur, & ſpoliis talium delectatur, qui dives eſt arcâ, nõ merito? Poteſtne miſericordiâ tangi, aut humanitate moveri, cujus avaritiæ nec proprium ſufficit, nec alienum? Qui etſi pauperi tribuat, hoc magis deterior, ſi alii tollat, quod alii præbeat; ſi eſurientis pane eſurientem paſcat, & nudum ſpoliis veſtiat, cùm ſcriptum ſit: Qui offert ſacrificium ex ſubſtantiâ pauperis, ſic eſt quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui.* Iam ſuprà docuimus, da de tuo, da citò. *Nam ſunt,* addit Chryſoſtomus, *qui poſſunt facere eleemoſynam, ſed nolunt: ſunt qui volunt, & non poſſunt: ſunt & qui volunt & poſſunt, ſed differendo non faciunt. Ceterùm qui poteſt facere, oret ut & velit: & qui vult facere, oret ut & poſſit: & qui in utroque paratus eſt, det operam, ut miſericordiam inſtanter efficiat, ne quod vult & poteſt, differendo non compleat.* Da ergò celeriter, da largiter. *Hoc ipſum eſt accipere, Deo donare.*

*Eccli. c. 34. v. 24.*
*Chryſ. to 4. ho. de duabus viduis, mihi pag. 789.*
*Greg. Nazianz. orat. 16.*



## CAPVT V.

*Aliæ iterum quæſtiones ſolvuntur.*

SOLEM jam ortum, ut in fabulis eſt, Nox interrogans: Cur, inquit, tanto l[illegible]gitionis impetu totum hemiſphærium ſubitâ, eâque copioſiſſimâ luce colluſtras? An non rectiùs faceres, & tibi mihique meliùs conſuleres, ſi paullatim radios tuos explicares, & ita me paullò urbaniùs fugares? Sol proptereà reſpondens: Non miremur, inquit, fuliginoſa & noctis verba fundere: Nox es, quæ plurima ignores. Cùm voluntas dandi & facultas conveniunt, non invita comitatur velocitas. Qui donare potuit & diſtulit, plenâ volũtate non dedit. Donationis celeritas pronæ voluntatis argumentum eſt. Munus tardum plerumque amarum, nec ſine triſtitiâ venit. Vide, obſecro, quanto impetu fontes ſcaturiant, venti procurrãt, orbes cæleſtes in gyrum ſe volvant, gentis humanæ bono. Beneficiũ quantò velociùs, tantò etiam lubentiùs; quantò autem lubentiùs, tantò etiam liberaliùs datur. At quantò liberaliùs tribuitur, tantò gratiùs accipitur, tantò jucundiùs retinetur. Ita Nox evanuit.

In hoc liberalitatis ſacræ themate quæſtiones ſcitu neceſſarias diſcutere cœpimus. Reſponſum eſt ad quæſtionem tertiam. Epilogus reſponſi fuerat, hoc genus beneficii non differẽdum. Iam porrò quęſtionem quartam, & cum eâ cõnexas hoc capite ſubjungemus.

### §. I.

*An materfamilias poſſit dare eleemoſynas marito non priùs conſulto?*

QVæſtio quarta. Quid juris hac in re habeat materfamilias, num ea poſſit eleemoſynas dare marito non priùs conſulto? Ex accidenti, loquuntur, fas eſt uxori modicum aliquid auctoritate ſuâ diſpenſare, cùm id loci conſuetudo permittat, nec eâ in re maritus prohibere cenſetur, quòd aliæ ejuſdem loci & conditionis matronæ, aut etiam innuptæ, paſſim factitare conſuêrunt. Res certa; quamdiu de contrariâ mariti voluntate non expreſsè cõſtat. Prętereà licet uxori ſtipem facere ad damnum ſive corporis, ſive animi, cùm à ſe, tum à viro familiáque avertendum: prout feciſſe Abigaëlem faſti Regum teſtantur. Idem illi licebit ſi familiam adminiſtrare, aut vicem viri eſſe jubeatur; ſi maritus domo abſens, ſi æger, ſi amens ſit. Deinde per ſe jus fáſque uxori eſt, etiam marito repugnante quãtaſvis eleemoſynas diſpenſare, de bonis, ut vocant, paraphernalibus, iis ſcilicet, quæ, cùm nuberet, eximia ſibi propriáque reſervavit. Quemadmodum de iis quoque, quæ ipſi jam nuptæ per hæreditatem, pérque donationem obvenerunt. Item de iis, quæ per ſuam ipſa induſtriam lucrata eſt, modò ea ſuſtinendis matrimonii oneribus non ita ſint neceſſaria, ut familia liberique illorum profuſione depauperentur.

Quid ſi autem vir dives diſertè prohibeat uxori ſtipem elargiri, nolitque à conjuge ſuâ fieri, quod aliæ id loci faciunt? Quid hîc uxor? num obſequi cogetur? Diſſentiunt hîc viri magni. Cenſent aliqui parendum viro, idque tutiùs fore. Sed rectiùs alii jus iſtud uxori permiſſum arbitrantur, neque enim viro minùs æqua præcipienti obtemperandum. Quod & ratio ſuadet. Obligatus enim eſt vir uxori ad præſtandam pro ſtatu & opibus decentem ſuſtentationem; hæc autem non ſolùm complectitur congruentem victum, veſtitum, famulatum, ſed etiam recreationes, eleemoſynas, donationes honeſtas, & hoc genus alia, quæ ceteris ejuſdem loci feminis communiter permittuntur: neque uxorem jure hoc communi poteſt privare, ſiquidem talis conſuetudo, non ſecùs quàm privilegium, jus tribuit.

*Leon. Leſſ. l. 2. de Iure & Iuſt. c. 12. dub. 14. Suarez, Becanus, Gregor. Valentiâ, & alii cum illo.*

Expedit omnino familiæ ut & uxor argenteam habeat manum, quam egenis porrigat. Diſcat à matre filia miſeris ſuccurrere, diſcat non faciem fucare, non caput ornare, non veſtes ſartori dictare, non eleganter ac ſcitè ſaltare, ſed largè ſtipem erogare; diſcat æmulari chariſmata meliora. Illud Domini frequentiſſimè ſibi occentari audiat: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Qui, quod vult Deus, Deo negat, à Deo ſibi, quod deſiderat, vult negari. *Deus petit, ô homo, ſed tibi, non ſibi*, ait Chryſologus: *humanam petit miſericordiam, ut largiatur divinam. Eſt in cælis miſericordia, ad quam per terrenas miſericordias pervenitur. Vox regis eſt*: Domine in cælo miſericordia tua. *Dicens cauſſam in judicio Dei, patronam tibi miſericordiam, per quam liberari poſſis, aſſume. Qui de patrocinio miſericordiæ certus eſt, de veniâ ſit ſecurus, de abſolutione non dubitet. Miſericordia ſolùm cauſſam prævenit, anticipat cognitorem, ſed etiam ſententiam revocat, abſolvit addictos. Quod* Ninivitæ *probant, quos jam ſententiæ ſubjectos, pæne traditos, ad victimam ſtantes, morti deditos, miſericordia ſic rapuit, ſic tenuit, ſic prævenit, ut maluerit Deus mutare ſententiam, ne quid miſericordiæ negaret. Stabat quidem & tunc pro cauſſâ jejunium, aſpergebat cineres, ſternebat cilicium, dabat gemitus, fundebat lacrymas & quod non poterat excuſare verbis: luctibus temperabat, ſed non valuiſſet emendare ſententiam, niſi perorans miſericordia ſubveniſſet. Miſericordia & peccatores liberat, & reſtituit ſanctos.*

*Matth. c. 9. v. 13.*
*Pet. Chryſol. hom. 8. mihi pag. 27. propius fin.*
*Pſal. 35. v. 6.*

## §. II.

QVæſtio quinta, Quid adoleſcentibus, filiisfamilias, juvenibus, & iis quos parentum aut tutorum imperia etiamnum coërcent, hac in re licitum, an & ipſi eleemoſynas dare queunt? In luce res erit, ſi bonorum aſſignemus diſcrimen. Sunt bona, quæ *Caſtrenſia*, ſunt quæ *Quaſi caſtrenſia*, ſunt, quæ *Adventitia* vocari ſolent. Caſtrenſe peculium appellamus, quidquid in bello ſolet acquiri: præterea tam parentum quàm aliorum dona, quæ filio, ad bellum eunti, conferuntur, demum ea etiam quæ in obſequiis ac palatiis principum comparantur. Peculium Quaſi caſtrenſe nominamus illud, quod cùm reverà tale, non privilegium tamen peculii Caſtrenſis ſortitur: quod nomine titulóve fit triplici; Clericatûs, Officii publici, Regiæ donationis. Peculium Adventitium vocamus, quod aliunde filio, dum parentum bonis non ſuſtentatur, vel induſtriâ & labore, vel fortunâ & donatione obvenit. Ex his ergo tam Caſtrenſibus, quàm Quaſi caſtrenſibus, & adventitiis bonis filiusfamilias liberrimè poteſt eleemoſynas præbere. Hinc ephebi aulici, adoleſcentes Clerici, ſtipendio publico conducti, ejus, quam merentur, pecuniæ domini ſunt, adeóque illam in pauperes, ut volunt, dilargiri poſſunt. Hoc jure tamen cerdones, fabri, lapicidæ, carpentarii, ſartores, & vulgus reliquum, tirones opificum non gaudent.

Bonorum diſcrimen.

De quibus bonis filiusfamilias poteſt dare eleemoſynam.

*Complures hîc & ſubtiliores exceptiunculas Theologis relinquimus.*

Quòd ſi filiusfamilias ſummam notabilem paternarum aut maternarum opum occultè ſibi uſurpet, aut ad ſtudia honeſtóſque uſus conceſſam, ludo, luxu, compotatione prodigat, is non modò mortiferè peccabit, ſed per ſe obligabitur etiam ad reſtitutionem vel parentibus, vel, ſi iſtis nequeat, in diviſione patrimonii cohæredibus faciendam.

Porrò ſi parentes non obſiſtunt, quò minùs filii, qui litteris vacant, ſuas habeant crumenulas, unde panem niveum, ſiligineum aut dulciarium, unde pomi varium genus, unde merendulas, unde ſcitamenta & cupedias poſſint emere; non etiam obſiſtere debebunt, quò minùs filii ex illis marſupiolis depromant eleemoſynas: Hoc valetudini ſalubriùs, hoc moribus, hoc animo longè fiet conſultiùs. Ita hi adoleſcentes Muſarum alumni vel expreſſo, vel certè tacito parentum conſenſu ſtipis aliquid in egenos derivare poterunt. Imò parentes rectiſſimè facient, ſi liberis hoc ipſo nomine æris aliquid committant, ut eos vel etiam hoc modo ad pauperes juvandos aſſuefaciant.

Fruſtra hæc, inquis, & actum agent. Nam adoleſcenti pecuniam committere, eſt feli laridum aut arvinam, vulpi gallinam, lupo oviculam credere. Non diſſentio. Ergo adoleſcentibus aut nihil pecuniæ, aut prorſus cautè committendum, idque in hunc uſum tantummodò, ut vel indolis experimentum fiat, aut bonis moribus incitamentum accedat.

Atque in hac quidem quæſtione, quinam eleemoſynas largiri debeant universè hoc ſtatuimus. Ii generatim qui aliorum imperiis ita ſubſunt, ut ipſi nullum nec dominium, nec adminiſtrationem bonorum habeant, à præcepto eleemoſynæ dandæ immunes ſunt. Huic autem eidem præcepto ſunt obnoxii omnes ii, qui bonorum aut reculæ quantumvis exiguæ, dominium & liberam adminiſtrationem habent. Idque etiamſi non Chriſtiani ſint. Nam hi lege hac naturali divinâque vinciuntur.

Qui immunes à præcepto dandæ eleemoſynæ, & qui ...

Hæc illa mercatura eſt nobiliſſima, de qua facundè Chryſoſtomus: *Bona*, inquit, *negotiatio eleemoſyna, nundinæ profectò mirabiles, parvo emere, magno vendere. Has nobis nundinas Deus propoſuit: Modico eme, quod magno vendas in futuro ſæculo: eme panis fragmento, vili veſtimento, frigidæ poculo*: Amen dico vobis (*inquit mercaturæ doctor*) non perdet mercedem ſuam. *Si calix aquæ dignus eſt mercede; data veſtimenta, datæ pecuniæ mercedem non ſortientur multò majorem? dum hæ nundinæ durant, demus eleemoſynam, ſalutem emamus.*

Chryſoſt. hom. 3. de pœnit. ... pag. 73. Matt. ... v. 42.

## §. III.

QVæſtio ſexta multiplex: Cur iſte dat ſtipem, & ille alter non dat? Cur bene nummati & magnis fortunis non raro minus dant, quàm tenuis fortunæ homines, & à nummis minimè copioſi? Cur plerique omnes in egeſtate ſumus, cùm egenis dandum eſt? Quomodo quis celerrimè poteſt fieri dives? Quomodo Eccleſia Romana excrevit ad tantas divitias? His ſingulis & aliis talibus hîc ordine reſpondebimus.

Primum erat: Cur iſte dat ſtipem, & ille non dat, tametſi abundet? Eleemoſynas dare, ſingulare Dei donum: divina gratia eſt; hanc Deus æquiſſimis judiciis uni concedit, non concedit alteri. Paulus Macedonas ab eleemoſynis laudaturus: *Notam*, inquit, *facimus vobis fratres, gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ, quòd in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipſorum fuit, & altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias ſimplicitatis eorum. Quia ſecundum virtutem (teſtimonium illis reddo) & ſupra virtutem voluntarii fuerunt.* En, inquit Chryſoſtomus, *ut non extollantur, tantæ liberalitatis opus gratiam vocat, & triplices Macedonum laudes conjungit, quòd afflictiones ſtrenuè ferant, quòd miſereri ſciant, quòd in paupertate largiſſimas eleemoſynas exhibeant. Nam ſicut magna afflictio magnum gaudium, ita multa paupertas multas divitias peperit eleemoſynæ. Non enim menſurâ dantium, ſed voluntate exhibentium liberalitas æſtimatur. Macedonibus non ſolùm non obfuit ad liberalitatem paupertas, ſed & occaſio fuit exundandi, quemadmodum afflictio lætandi: quò enim pauperiores erant, hoc liberaliores & alacriores ſtipem exhibebant.*

Ratio ... aliquis ... ſtipem, alius ... non dat, etſi abundet.

2. Cor. ... v. 1. & ...

Chryſoſt. in ep. 2 ... Cor. hom. ... mihi pag. 723.

Itaque ſi quæras, Cur iſti & illi pauperes juvant, alii eoſdem potiùs ſpoliant? Hoc habeo dicere, inſignem Dei gratiam eſſe animum pronum, & facilem ad dandum. Hunc quiſquis habet, Deo gratias reddat; quiſquis eo caret, id gratiæ à Deo enixè poſtulet.

Alterum: Cur ſtipem ſæpe parciùs dant homines opulenti, quàm plebii & malè nummati? Hîc

Chryſo-

*Chryſ. to. 2. ho. 65. in Matth. mihi pag. 474.*

Quòd divites non dent eleemoſynam non eſt ei judicandum.

Chryſoſtomus reſpondet: *Sed ille*, inquis, *ac ille auri talenta non pauca poſſidet, nec aliquid pauperibus præbet. Et quid hoc tuâ intereſt? imò verò mirabilior ac venerabilior videberis, ſi, cùm pauper ſis, benignior ac liberalior eris. Tu non ad illos, ſed ad communem omnium dominum reſpicias, qui non habebat, ubi caput reclinaret. Cur igitur talis, inquies, id non facit? noli alium judicare, ſed teipſum ita redde laudabilem, vt omnem meritò accuſationem poſſis effugere. Si ad homines reſpiciendum eſt, illos, non iſtos imitare.* Sed iſtos, eheu, non imitamur, & illos temerè judicamus, ſic malâ fide ſolvimus, quod Deo debemus.

*Sophronius in prato ſpirit. cap. 184. mihi pag. 505.*

Sophronius iter ſuum commemorans: Alexandriæ, inquit, ad Ioannem Abbatem reviſimus virtutis admirandæ, commiſerationis maximæ ſenem, qui ipſos octoginta annos religioſo habitu Deo ſerviit. Ab hoc quidam è ruſticâ plebe aureum ſibi commodari petiit. Ioannes ab auro pauperrimus continuò ad vicinum monaſterium litteras dedit, & aureum exacto menſe reſtituendum impetravit. Poſt elapſum jam biennium Ioannes hominem monuit, æs alienum redderet. Cui agricola: Venerande Domine, inquit, non poſſum; teſtem appello Deum: ſed ſervitium & quidquid laborum vis impera, promptus exequar. Igitur tu meo, inquit Ioannes, conſilio pare, & cùm ab aliis laboribus vacas, huc redi, & pro me precare, toties à me argenteum reportaturus. Ruſticus in conditionem pronìſſimus quotidie ſe ſeni ſtitit, & toties abſoluto precationum penſo, non argenteum ſolùm, ſed & cibum ac panes familiæ deferendos accepit. Cùm iſtud vigeſies quater feciſſet, viginti quatuor argenteos à ſene ſigillatim acceptos, hoc eſt, aureum, ſeni reddidit, ita ære alieno exivit. Superi! quæ nova hæc nominis expungendi ratio, accipere, ut poſſis reddere! Ita nos ſanè à Deo accipimus, ſed heu! accepta aut omnino non reddimus, aut malâ fide. Pecuniam Deus manibus noſtris ingerit: Hanc mihi per meos redde; hoc tibi dono, ut tu meus deſinas eſſe debitor, reddendo. Neque ſic quidem officium facimus, fatui & improbi debitores.

*Seu duos ſeſtertios.*

§. IV.

TErtium. Cur plerique omnes in egeſtate ſumus, cùm egenis dandum eſt? Deus à ſuis olim victimas ſibi voluit offerri è diverſis animantibus petitas. Has ſubinde turpis avaritia impediit, cauſſata ſibi deeſſe ſumptus in ejuſcemodi ſacrificia. Hinc Iſaias cum exprobratione queſtus: *Et vos*, inquit, *qui dereliquiſtis Dominum, qui obliti eſtis montem ſanctum meum, qui ponitis Fortunæ menſam, & libatis ſuper eam.* Hieronymus de hoc ſacrificii genere: Eſt, inquit, in cunctis urbibus, & maximè in Ægypto idololatriæ vetus conſuetudo, ut ultimo die anni ponant menſam refertā varii generis epulis & poculum muſto mixtum, vel præteriti anni vel futuri fertilitatem auſpicantes. Hoc autem faciebant & Iſraëlitæ omnium ſimulacrorum portenta venerantes. In horum cultu nemo expenſas objiciebat: cùm verò divinis libaminibus aliquid impendendum fuit, tenuitatem rei familiaris plurimi excuſabant.

*Iſa. c. 65. v. 11.*

Ita prorſus Chriſtianorum non pauci agunt, fortunæ menſam ponunt. Cùm ſtruenda ſunt convivia, ſat nummorum eſt; cùm veſtes ad luxum concinnandæ, ſat nummorum eſt; cùm lauta ſupellex adornanda, ſat nummorum eſt; cùm numeroſi famuli, cùm alēdi canes & equi, ſat nummorum eſt; cùm fautores comparandi, cùm aliqui muneribus corrumpendi, cùm jam antè divites donis conciliandi ſunt, ſat nūmorum eſt; cùm Lubentiæ ac Voluptati litandum, non minùs nummorum ſatis eſt; ubicumque oſtentationis negotium agitur, ſat ſemper nummorum eſt; cùm autem egenis dādum eſt, hîc exhauſti ſumus, heu nihil nummorum eſt. Ita menſam fortunæ ponimus, aram Deo dicatam ſacrificiis nudam deſtituimus; ad pleraque omnia abundamus, in eleemoſynis dandis malitioſa nos egeſtas tenet. Quod impavidè Chryſoſtomus exprobrans: *In ventrem*, inquit, *ac temulentiam, & ganeam ſumptus faciens nuſquam paupertatis meminiſti; at cùm ſublevanda cujuſpiam paupertas eſt, quovis egentior exiſtis.*

*Chryſ. in epiſt. 2. ad Cor. ho. 19.*

Quartum. Quomodo quis celerrimè poſſit fieri dives? Romanus ſapiens optatiſſimam diteſcendi artem traditurus: *Quid in longum*, inquit, *ipſe te differs, cùm fieri poſſis ſtatim dives? Repræſentat opes ſapientia, quas illi tribuit, cui ſupervacuas facit.* Atque ut Lucilium artificii promiſſi cupidum reddat: *Docebo* inquit, *quomodo fieri dives celerrimè poſſis, quod valde cupis audire. Nec immeritò; ad maximas te divitias compendiariâ ducam. Quantulumque eſt, ſatis erit, ſi quidquid deerit, id à nobis petierimus. Nihil enim intereſt, utrùm non deſideres, an habeas. Summa rei in utroque eſt eadem. Nec illud præcipio, ut aliquid naturæ neges; contumax eſt, non poteſt vinci, ſuum poſcit: ſed ut quidquid naturam excedit, ſcias precarium eſſe, non neceſſarium. Eſurio: edendum eſt. Vtrùm verò panis ſit plebejus an ſiligineus, ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, ſed impleri. Sitio: utrùm aqua ſit ex lacu proximo excepta, an ea quam multâ nive cluſero, ut rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc unum jubet, ſitim extingui. Vtrùm ſit aureum poculum, an cryſtallinum, an murrhinum, an Tiburtinus calix, an manus concava, nihil refert. Finem omnium rerum ſpecta, & ſupervacua dimittes. Fames me appellat, ad proxima quæque tendatur manus: ipſa mihi commendabit, quodcumque comprehendero. Nihil contemnit eſuriens. Sed iſtud* inquis, *decipere eſt, docere paupertatem, cùm divitias promiſeris. Ita tu pauperem judicas, cui nihil deeſt? Illum non judicas divitem, cujus divitiæ deſinere non poſſunt? Num habere malis multum, an ſatis? Qui multum habet, plus cupit: quod eſt argumentum, nondum illum ſatis habere. Qui ſatis habet, conſecutus eſt, quod numquam diviti contingit, finem. Numquam parum eſt, quod ſatis eſt. Numquam multum eſt, quod ſatis non eſt. Quod naturæ ſatis eſt, homini non eſt. Inventus eſt, qui concupiſceret aliquid poſt omnia. Neminem pecunia divitem fecit: imò contrà nulli non majorem ſui cupiditatem incuſſit. Quæris, quæ ſit hujus rei cauſſa? Plus incipit habere poſſe, qui plus habet. Iſte, ſi mihi credis, pauper eſt. At ille qui ſe ad id, quod natura exigit, compoſuit, non tantùm extra ſenſum eſt paupertatis, ſed etiam extra metum. Nam quod ad illos pertinet, apud quos falsò divitiarum nomen eſt, ſic divitias habent, quomodo habere dicimur febrem, cùm illa nos habeat. E contrario dicere debemus: Febris illum tenet. Eodem modo dicendum eſt, Divitiæ illos tenent. Nihil ergo monuiſſe te malim quàm hoc, quòd nemo monetur ſatis: Vt omnia naturalibus deſideriis metiaris, quibus aut gratis ſatisfiat aut parvo. Tantum miſcere vitia deſideriis noli. Ambitioſa non eſt fames: contenta eſt deſinere; quo deſinat, non nimis curat. Infelicis luxuriæ iſta tormenta ſunt. Quærit ea, quemadmodum poſt ſaturitatem quoque eſuriat, quemadmodum non impleat ventrem, ſed farciat; quemadmodum ſitim primâ potione ſedatam revocet. Id actum eſt ab illo mundi conditore, qui nobis vivendi jura deſcripſit, ut ſalvi eſſemus, non delicati. Ad ſalutem omnia parata ſunt & in promptu: deliciis omnia miſerè ac ſollicitè comparantur.*

*Senec. epiſt. 17. in fine, & ep. 119. init.*

*Aqua aut vinum in vaſe circūdari ſolet nive, ut frigus inde accipiat. Hodie etiam faciunt, ſed cum damno valetudinis.*

Ars ergo diteſcendi præclariſſima eſt, ſuperflua non quærere, ultra neceſſaria non deſiderare, modico contentum vivere. Diſcamus hanc artem, & numquam deerit, quod ſatis eſt.

Quomodo autem Eccleſia Romana ad divitias tantas excreverit, ultimo loco quærebatur. Non aliter profectò quàm Eleemoſynis. Soter decimus tertius à Petro Romanus Pontifex non ſolùm creſcentem

Eccleſia Romana eleemoſynis ad maximas excrevit divitias.

ſenſim Eccleſiam optimis conſiliis rexit, ſed etiam largiſſimis eleemoſynis variè laborantem ſuffulſit, ut ſuprà demonſtratum eſt. Soteris ſacram liberalitatem ubivis locorum pauperes Chriſtiani, ſacrorum inopes miniſtri, præcipuè verò ad metalla damnati, inſigniter ſunt experti. Nam Soter longiſſimè diſſitas Eccleſias non litteris modò erexit, ſed & pecuniis ſublevavit. Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus affirmat, hæc liberalitatis officia ab incunabulis adoleviſſe cum Eccleſiâ. Nec immeritò miremur tantam opum abundantiam Eccleſiæ principi jam ab ejus exordio collatam, ut ea non tantùm ſufficeret ad pauperes Romæ alendos, ſed ad alias etiam remotiſſimas orbis Eccleſias fovendas.

*Part. 1. c. 9. Vide Euſeb. l. 4. c. 23. Anno 175. eodem Cæſar. Baron. to. 2.*

Soteris in egenos liberalitatem alii ordine ſecuti. Laurentius eâ mente præditus Valeriano Cæſari opes ſacras inhianti: *Fruſtra es,* inquit, *nam facultates Eccleſiæ, quas requiris, jam manus pauperum in cæleſtes theſauros deportaverunt. Manus pauperis, ſinus Abrahæ, gazophilacium Chriſti, theſaurus cæli.* Ergo Eccleſiæ primævæ divitias pepererunt Eleemoſynæ. Proximus ad opes gradus eſt inopes juvare.

*Chryſoſt. hom. 8.*

§. V.

QVæſtio ſeptima: Cur in ſupremo judicio de eleemoſynis ſententia peculiaris ferenda? Ambroſius cauſſarum aliquid attingens: *Bona,* inquit, *miſericordia, quæ & ipſa perfectos facit, quia imitatur perfectum patrem. Nihil tam commendat Chriſtianam animam quàm miſericordia; neque quiſquam magis beatus quàm qui intelligit ſuper pauperis neceſſitatem.* Hinc Bibliorum phraſi Iuſtitiæ nomen obtinet miſericordia. Hæc enim ad omne virtutum genus adipiſcendum inſigniter facit, & cælum reſerat non fallaci clave. *O igitur quantò melius eſt,* clamat Ambroſius, *ſalutem habere ſine pecuniâ, quàm pecuniam ſine ſalute?*

*Ambroſ. to. 5. l. 1. de offic. c. 11. & c. 25. mihi pag. 494. fine capitis.*

Sed ad hanc ipſam quæſtionem diſſertiſſimè beatus Leo reſpondens: *Cùm venerit filius hominis,* inquit, *in majeſtate ſuâ, & ſederit in throno gloriæ ſuæ, & congregatis omnibus gentibus bonorum & malorum fuerit facta diſcretio, in quo laudabuntur, qui ad dexteram Dei ſtabunt, niſi in operibus benevolentiæ, & charitatis officiis, quæ* IESVS *Chriſtus ſibi impenſa reputabit? Quoniam qui naturam hominis ſuam fecit, in nullo ſe ab humanâ, humilitate diſcrevit. Siniſtris verò, quid objicietur, niſi neglectus dilectionis, duritia inhumanitatis, & pauperibus miſericordia denegata? quaſi nec alias virtutes dextri, nec alias offenſiones habeant ſiniſtri. Sed illo magno ſummóque judicio tanti æſtimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, ut pro plenitudine omnium virtutum, & pro ſummâ omnium commiſſorum, & per unum bonum iſti introducantur in regnum, & per unum malum illi mittantur in ignem æternum. Nemo igitur, dilectiſſimi, ſibi blandiatur de ullis bonæ vitæ meritis, ſi illi defuerint opera charitatis.*

*Leo ſer. 5. de collectis mihi pag. 16.*

In judicio probi in operibus benevolẽtiæ laudabuntur, reprobis verò pauperibus miſecordia denegata objicietur.

Quæſtio octava: Quæ demum ars omnium quæſtuoſiſſima? Num mercatura? Scimus: piper parit pecuniam. Num uſura? Quæ dormiendo nummos cudit. Num medicina? Notum: Dat Galenus opes. Num Iuriſprudentia? Quæ pauculas pagellas non raró multis vendit aureis. Num gemmarum mangonium? quod ſæpiùs multa philippeorum millia ſimul trahit. Num ars typographica? Belgium certè typographos monſtrabit ditiſſimos. Quæſtioni poſitæ Chryſoſtomus reſpondens: *Ars,* inquit, *eſt eleemoſyna, & omnium artium quæſtuoſiſſima. Si enim proprium eſt artis, ad aliquam utilitatem pervenire, eleemoſynâ verò nihil eſt utilius, clarum eſt profectò quòd & ars, & omnium artium eſt optima. Non enim nobis conficit calceamenta, neque veſtimenta contexit, neque has luteas domos ædificat; verùm æternam miniſtrat vitam, ex mortis manibus eripit, & in utrâque vitâ claros exhibet, & manſiones ædificat in cælis, & æterna parat tabernacula. Atque ſi des panem, eum habens ſolum, ad perfectionem artis perveniſti. Melius eſt hanc ſcire, quàm eſſe regem, & diademate coronari. Hæc & Sophiſtis & oratoribus te potentiorẽ facit. Hæc te docet, quomodo poſſis Deo ſimilis fieri, quod eſt omnium ſumma bonorum. Hæc Chriſti adſtat tribunali non tantùm patrocinans, verùm & ipſi perſuadens judici, ut reo patrocinium præſtet, & pro eo ſententiam ferat, & licet millies peccaverit, coronat, & victorem promulgat. Et hoc ſuper omnia diſcat homo, quoniam & hoc eſt homo. Nam eleemoſyna facit hominem eſſe hominem, imò Deum.* Eſtote miſericordes ſicut pater veſter.

*Chryſ. to. 5. ho. 33. ad pop. Antioc. mihi pag. 216. & ſeqq.*

Eleemoſyna eſt ars omnium artiũ quæſtuoſiſſima.

*Luc. c. 6. v. 36.*

Quæſtio nona: Cur obſecro Deus ſic urget eleemoſynas? Suam Deus gloriam in rebus omnibus & noſtram utilitatem ſpectat. Cùm autem è virtutum choro vix ulla homini Chriſtiano ſit utilior miſericordiâ, ſeu ſacrâ liberalitate, hanc ideo potiſſimùm noſtro bono expetit. Sed liceat hîc viciſſim quærere: Cur Deus pecudes & bruta animalia tam ſollicitus curat? jumenta ſtato tempore ab omni opere vult feriari, os bovi trituranti alligari non vult: *Numquid de bobus cura eſt Deo?* Eſt ſanè, & vel ideo potiſſimùm, quia mutæ animantes ſibi neceſſaria non poſſunt petere, Deus ipſarum actor & cauſſidicus petit. Tales omnino ſunt pauperes ſæpiſſime; calamitates, anguſtias, neceſſitates ſuas exponere vel non poſſunt, vel non audent, aut certè non ſinuntur loqui, quod in rem ſuam eſt. Impudentiores aliqui inter modeſtos pauperes non numerandi; lolium ſunt, non miſcendi tritico. Ceteri pauperum velut boves aratores ſunt, quos quotidianus fatigat labor. De his profectò bobus cura eſt Deo.

E virtutũ choro homini non eſt utilior miſericordiâ.

*1. Corinth. c. 9. v. 9.*

Neque verò dubium, quin multa millia hominum egenorum nullam egeſtati ſuæ cauſſam dederint, ſed à pauperibus parentibus pauperes, & patrimonii omnis inopes ſint nati. Hi manu vitam duróque tolerant labore. Itaque paupertas eorum non ab otio aut luxu, ſed à divino permiſſu ac juſſu eſt. Quos enim amat Deus, eos & caſtigat. Hinc magiſtrâ paupertate innumeri vitam agunt vitiorum expertem, ſceleris puri, divinis oculis probati ſanctique. Atque ideo tanquam ſingulares Dei amici obſervandi, & modis omnibus juvandi ſunt.

Pauperes omnibus modis ſũt juvandi.

§. VI.

POrrò eleemoſynæ non tam pauperibus neceſſariæ, quàm ditioribus ſunt fructuoſæ. Eleemoſyna veriſsimè plus prodeſt danti quàm accipienti. Quod Abraham non ignorabat. Hinc peregrinum cum duobus aliis excepturus: *Domine,* inquit, *ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum: ſed afferam pauxilium aquæ, & laventur pedes veſtri, & requieſcite ſub arbore. Ponámque buccellam panis, & conforteur cor veſtrum.* Hac animi ſubmiſſione peregrinos loqui decuiſſet: illi enim beneficium erant accepturi, quod in eos ab Abrahamo collatum eſt. Verùm Abrahamus non neſcius eleemoſynas plus prodeſſe danti quàm eroganti, ſapienter prævertit, occurrit, adoravit, rogavitque ſedulò, ut ſibi paterentur bene fieri. Eleemoſynâ profectò plus prodeſt eam expendenti quàm recipienti. Veritas id affirmat: *Beatius dare quàm accipere.*

Eleemoſynæ divitibus ſunt fructuoſæ.

*Gen. c. 18. v. 3. & ſeqq.*

*Act. c. 20. v. 35.*

Quod priſci Patres mentibus noſtris altiſſimè impreſſum cupiebant. Hinc illi toties & tam contentè vociferantur: Cùm eleemoſynam das, magis accipis quàm das. Ambroſius apertiſsimè: *Beneficium largientis,* inquit, *præbenti magis permanet quàm ſuſcipienti. Nam miſericordia quidem ad indigentem pervenit, gratia autem multiplicatæ mercedis permanet tribuenti. Eſurienti dediſti panem: ille quidem paſtus eſt & refectus, ſed ad te redit, quod dediſti cum fructibus & uſuris. Quod ſi difficile putas, conſidera frumentum, quod ſeminatur in terrâ, ſi non ad ſeminantis potiùs quàm ad ſuſcipientis lucra cedit: ita etiam dum cibus tribuitur*

*Ambr. to. 5. ſerm. 81. mihi pag. 892.*

Quia gratia multiplicatæ mercedis permanet tribuenti.

*tur indigentibus, cum multo fœnore divinæ gratiæ reſtituetur in poſterum. Sit ergo tibi finis agriculturæ hujus, initium cæleſtium ſationum.* Nec aliter Chryſoſtomus: *Eſt,* inquit, *eleemoſyna, cùm de propoſito, cùm de liberalitate, cùm abundè fit, cùm te non tam dare cenſes quàm accipere, cùm quaſi lucrantem te, non quaſi amittentem conſideras: quoniam quidem niſi ſic exiſtimaveris, non eſt gratia.* Non † *eſt æquale lucrum vobis & pauperibus. Nam vos quidem ſi dederitis, ea dabitis, quæ & brevî tandem volentes nolentes reſignabitis, aliiſque cedetis: quæ verò viciſſim recipitis, admodum magna, imò multò majora ſunt. An non hic vobis eſt animus, ut exiſtimetis vos dando accipere? Nemo contribuat niſi qui ſeipſum ita diſpoſuerit, tamquam magis accipiat quàm det, tamquam innumera lucretur, tamquam beneficium magis capiat quàm largiatur. Neque enim ſimpliciter dare, eleemoſynam eſt facere, ſed prompto alacrique animo dare, ut eum decet, qui gratiam accipit. Quidam reges ſibi adoptantes, non putant ſe magis dare quàm accipere. Adopta tu Chriſtum, & habebis plurimum ſecuritatis.* Ejuſdem prorſus animi Auguſtinus: *Noluit Deus,* inquit, *ut perdas divitias tuas, ſed ut locum illis mutes. Modò ſi amicus tuus intraret in domum tuam, & inveniret te in loco humido poſſuiſſe frumenta, daret tibi hujuſmodi conſilium: Frater, perdis quod cum magno labore collegiſti; in loco humido poſuiſti, paucis diebus iſta putreſcunt. Et quid facio? Leva in ſuperiora. Audires amicum ſuggerentem, ut frumenta levares de inferioribus ad ſuperiora, & non audis Chriſtum monentem, ut theſaurum tuum leve: de terrâ ad cælum, ubi non hoc tibi reddatur, quod ſervas, ſed ſerves terram, accipias cælum; ſerves mortalia, accipias æterna.*

Chryſ. to. 5. hom. 7. de pœnit. mihi pag. 745. † Idem to. 4. hom. 1. in ep. ad Philip. mihi pag. 1014. Aug. to. 8. in pſal. 48. mihi pag. 182.

Similes aſſignantur cauſſæ, cur Deus ſic urgeat eleemoſynas. Sed hîc pæne idem quòd de magnete dixerim. Quòd magnes ferrum, non argentum, non ſilices, non aurum trahat, vis prorſus occulta eſt, numquam ſatis penetranda. Idem de eleemoſynis affirmandum. Vis admiranda. Vis planè abdita illas commendat, nec verbis ſat explicanda.

Vis admirãda eleemoſynas commendat.

Anno Chriſtiano milleſimo quingenteſimo Luſitana mulier Eboræ ad extremum perdita, quinque jam annos & quadraginta in omnium flagitiorum cœno volutata ſcelerum turpitudini addidit pactam malo dæmoni ſervitutem. Hanc ille jugo duriſſimo exercebat, itaque opprimebat, ut, cùm oculi auréſque ad nefanda omnia paterent, illa tamen mulier nec verba Eccleſiaſtæ audiret, nec myſteria rei divinæ cerneret. Sed curam illius non abjecit qui eam condidit, qui redemit Deus. Adſtiterat illa mendico morienti, eique ſe liberalem ac ſedulam præſtiterat extremo tempore. Paucis poſt diebus imaginem defuncti conſpicere viſa eſt, & audire hæc verba. Eleemoſynas tuas in Dei conſpectum tuli, ejuſque clementiam exoravi, ut pro iis tibi referretur gratia. Ipſius nunc permiſſu ad te venio, & hortor: age pœnitentiam, exomologeſi culpas elue. Cùm autem hortantis monita perfluerent aures, nec animo reciperentur, eadem vox iterum ac tertiùm auribus illapſa non modò ſpem veniæ, ſed & viam oſtendit.

Vis ingẽs ſed occulta eleemoſynis ineſt. Si enim tenue beneficium, ſi duo æris minuta, ſi panis unicus vel ab invito projectus tantum potuit, quid non poterunt eleemoſynæ voluntariæ, liberales, copioſæ, affectu grandi exhibitæ? Vim arcanam tegit miſericordia.

Deus ab homine eleemoſynas urget, ut ei ſit ſimilis.

Sed num, mi Lector, primam ac profundiſſimè petitam cauſſam, cur Deus ſic urgeat eleemoſynas, quæris? En ipſam. Res nota: tantò plus alium amamus, quantò eum nobis ſimiliorem cernimus; amorem & amicitiam conciliat ſimilitudo. Atqui Deus in nullo mortalium evidentiorem ſuæ naturæ ſimilitudinem, quàm in homine miſericordi cernit. Sapientiam Dei, potentiam & juſtitiam, immenſum in Deo amoris incendium, æmulari humanæ imbecillitati negatum; ad æmulandam verò miſericordiam ſæpiſſimè provocatur. Hinc Deo charior, qui Deo ſimilior; ſimiliorem facit miſericordia.

## CAPVT VI.

### *Viginti quinque eleemoſynarum fructus ſummatim explicantur.*

Greg. Naz. orat. 16. de pauperum amore.

MAgnificè dixit Nazianzenus: *Fac calamitoſo ſis Deus, Dei miſericordiam imitando. Hoc eſt omnium laudatarum virtutum præſtantiſſima, hæc eſt felicitatis comes, hæc aſſidet Deo, & magnâ eſt cum ipſo neceſſitudine conjuncta.* Magna profectò laus à tali manu & calamo. Divinum aliquid hæc virtus habet. Ecquid ſublimius quàm egenti Deum fieri? Facit hoc liberalitas: imitatione in Deum tranſit. Dei beneficio ſceleratis ſol oritur, pluviæ ſtillant, fontes fluunt, ſegetes ſurgunt, plantæ germinant, arbores abundant; aër avibus, aquæ piſcibus frequentantur, pecudes creſcunt omnia in alimoniam humanam: Deus etiam ingratiſſimos paſcit. Ad indolem hanc divinam proximus accedit homo miſericors. Tullianum effatum novimus: Nihil habet fortuna melius, quàm ut poſſis; neque natura præſtantius, quàm ut velis ſervare plures. Fac velis; licet Deum fieri.

Homo eleemoſynâ fit egẽti Deus.

Hos tales fructus edunt eleemoſynæ. De his explicatè, ſed ſuccinctè loqui eſt animus. Vt nemo non ſciat quàm ingens, inæſtimabile bonum ſit miſericordia eleemoſynis exhibita. Illius fructus nunc ordine percenſemus.

Eleemoſynarum fructus.

### §. I.

PRimus eleemoſynarum fructus: *Eleemoſyna peccata delet.* Oraculum Tobiæ & Siracidæ novimus: *Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis, & Deus proſpector eſt ejus, qui reddit gratiam.* Nec Danielis conſilium Regi Nabuchodonoſori datum ignoramus: *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* Miſerere inopum & miſerorum, quiſquis tibi vis parcere Chriſtum, per miſericordiæ largitatem peccatum omne aut vincitur, aut declinatur. Hoc Chryſoſtomus explicatiſſimè docens: *Non eſt peccatum,* inquit, *quod non poſſit purgare eleemoſyna, quódve non poſſit extinguere. Omne peccatum infra illam ſtat. Remedium eſt ad omne vulnus utile. Omnis injuſtitiæ fomes eſt avaritia, ſed hanc omnem abluit eleemoſynâ Zachæus.* Quare imitare fratrem, ſi vis pertinere ad patrem: fac quod Zachæus fecit, ut merearis, quod meruit. Similitudo officiorum ſimilitudinem exhibet meritorum.

1. Eleemoſyna delet peccata. Tob c. 4. v. 11. Eccli. c. 3. v. 33. & 34. Dan. c. 4. v. 24. Chryſ. to. 3. in c. 11. Actor. ho. 25. mihi pag. 528. Et tom. 2. in c. 16. Luc. ſer. ult. mihi pag. 1174.

Secundus eleemoſynarum fructus: *Baptiſmus alter, eleemoſyna.* Hîc lavare, hîc mergere, Chriſti jubentis vocem ſequere: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Eleemoſyna lavacrum animæ. Cum priſcis patribus clariſſimè Hieronymus: † *Hoc,* inquit, *præſtat eleemoſyna, quod & baptiſma.* Luſtrali fonte ſemel tingimur, hîc centies, hîc millies vel uno die licet ablui. Ignis gehennæ rore ſacro extinguitur, Vermis conſcientiæ piâ largitione conteritur. Hîc tamen Gregorius non ſilenda obſervans: *Eleemoſynæ pretium,* inquit, *nos à culpis liberat, cùm perpetrata plangimus & abdicamus. Nam qui & ſemper peccare vult, & quaſi ſemper eleemoſynam largiri, animam non redimit, quam à vitiis non compeſcit.* Quod Paulus dilucidè affirmans: * *Si diſtribuero,* inquit, *in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Contumacia noxarum inſanabilis.

2. Baptiſmus alter eleemoſyna. Luc. c. 11. v. 41. Omnia mũda, non ex opere operato, ut loquũtur Theologi, ſed per modũ impetrationis & diſpoſitionis. † Hiera. in Pſal. 133. * 1. Cor. c. 13. v. 3.

Tertius fructus: *Eleemoſyna ad tribunal Chriſti patrona fideliſſima.* Nec enim ſolùm patrocinatur reo, ſed

3. Eleemoſyna ad tribunal

Chriſti patrona fidelisſima

Prov. c. 21. v. 14.

Iac. c. 2. v. 13.

Matt. c. 25. v. 41. & 42.

etiam quod vult, perſuadet judici. Salomonis ſapientiâ id docemur: *Munus abſconditum extinguit iras, & donum in ſinu indignationem maximam.* Eleemoſynæ modeſtæ dum pauperibus ſeſe inſinuant, iram judicis ſeveri mitigant. Homo miſericors blandiſſimâ vi devinctum ſibi Deum ac obligatum tenet, & non poteſt non ſperare miſericordiam. *Iudicium ſine miſericordiâ illi*, ait Iacobus, *qui non fecit miſericordiam* Homo immiſericors ficus infœcunda eſt, & pomis vidua, quæ dominicam famem non pavit. Ideo æternùm erit maledicta. Audite arbores ſteriliſſimæ ſempiternum flammæ pabulum. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare.*

4. Eleemoſyna ſacrificium opimiſsimū, Deóque gratiſsimum.

Hebr. c. 13. v. 16.

Quartus: *Eleemoſyna ſacrificium opimiſſimum, Deóque gratiſſimum.* Clariſſimè beatus Paulus, *Beneficentiæ*, inquit, *& communionis nolite oblivisci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Quod explicans Auguſtinus: *Chriſtiani ſacrificium*, inquit, *eſt eleemoſyna in pauperem.* Non eſt, quòd oves aut boves hîc circumſpicias, quos cultro deſtines, quos igni dones: caniſtrum aperi, deme vincula crumenæ, veſtiariam arcam reſera, hinc tuas prome hoſtias, panem, mōnetam, veſtem; famelicum paſce, nudum tege, argentum divide, & jam ſacrificaſti. Sed cave, ne forſan rectè offeras, & non rectè dividas. Eſt qui ſibi videatur in Deum liberaliſſimus eſſe, ſi dicat: Mi Deus, omnia mea tua ſunt. En obtuliſti. Iam etiam divide ac ſacrifica. Videamus, quid poſſis aut velis in diuidendo & ſacrificando. Scis illud vetus: Sacrificandum Diis ſine parſimoniâ.

5. Eleemoſyna colūba eſt argentea alis aureis inſtructa.

Quintus: *Eleemoſyna columba eſt argentea alis aureis inſtructa.* Columbam emiſerat è ſuo carcere Noëmus: illa veſperi reverſa viridem olivæ ramulum reportavit. Ad obitûs noſtri veſperam, ubi nos dolorum ciŋget diluvium, redibit argentea hæc columba, & ramum refert oleaginum, fiduciam, pacem, lætitiam, immortalem gloriam. Aureas expandet alas, & in cælum ſubvehet pios manes. Hunc eleemoſynæ volatum Chryſoſtomus aſſignans: *Pennata eſt*, inquit, *eleemoſyna, & levis, aureas habens alas, ipſos ſupra modum delectans Angelos.*

Chryſ. to 5. hom. 7. de pœnitent.

## §. II.

6. Eleemoſyna opes tutiſsimo loco collocat.

Cyprianus tract. de Opere & eleemoſynâ.

Sextus fructus: *Eleemoſyna opes tutiſſimo loco collocat.* Ecquis tutior cælo? Pecuniâ nihil fallacius, nihil fugacius; ſed compedes illi nectit, & injicit manus eleemoſyna. Diffugere non poſſunt opes tot viduarum, tot pupillorum, tot pauperum manibus detentæ, Cyprianus hoc adſtruens: *Patrimonium*, inquit, *Deo creditum, nec fiſcus invadit, nec calumnia forenſis evertit. In tuto ponitur hæreditas, quæ Deo cuſtode ſervatur.* Frumentum malè retentum domi aut à vermibus corroditur, aut acquirit alas, & evolat; abjectum in terram meſſem parit copioſam. Pecuniæ loculorum carcere concluſæ fugiunt, in egenum vulgus ſparſæ remanent, & fructuoſæ ſunt. Inſigniter dixit Auguſtinus: *Ponunt pueri in theſaurario, & ſecuri ſunt; tu ponis in manu Chriſti, & times? Eſto prudens, & proſpice tibi in poſterum in cælo. Nunc Chriſtiani eſt præparare ſibi domum æternam in bonis operibus, mittere ante ſe ſumptus, ſequi opera ſua, attendere comitem egentem, non contemnere Chriſtum ante januam ulceroſum.* Manus pauperum arcæ fidiſſimæ theſaurorum.

Aug. to. 8. in Pſal. 48. mihi pag. 183. & 184

7. Eleemoſyna ſtruit tabernacula numquam ruitura.

Virg. Eclog. 9. initio.

Septimus: *Eleemoſyna ſtruit tabernacula numquam ruitura.* In orbe hoc nuſquam non voces illæ perſonant: Migrate, migrate:

*Vrbs antiqua ruit, veteres migrate coloni.*

Vbique nobis occinitur: *Exi hoſpes, exi, da locum alteri.* Ædificia etiam firmiſſima multo demū ſenio collabuntur. Nuſquam manſio, nuſquam civitas permanens, nuſquam tabernaculum expers ruinæ, niſi in cælo, ubi eleemoſyna domos ædificat aureas æternis ſæ-

A culis manſuras. Eò digitum intendens Chriſtus: *Facite vobis amicos*, inquit, *de mammonâ iniquitatis, ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Vis ſplendidas domos ædificare. Non prohibeo, ſed ædifica in alto, ſuper ſolidum; non in imo, non ſuper arenam. Gregorius certâ fide commemorans. Iuxta nos, ait, habitabat ſutor, cui nomen Deus dedit, vir ex aſſe pius. Hic ſui opificii ſummè ſedulus, quidquid pecuniolæ per hebdomadem à tenui victu veſtitúque ſuperfuit, ſabbato in pauperes erogavit. Hinc alius quidam Deo monſtrante vidit, eximiam domum huic viro ædificari, ſed ſolis ſabbati diebus. Eleemoſyna domos non marmoreas, ſed aureas, ſed gemmeas, ſed æternas architectatur.

Luc. c. 16. v. 9.

Greg. l. 4. dialog. c. 36.

8. Eleemoſyna divitias auget minuēdo, cumulat erogando.

Octavus: *Eleemoſyna divitias auget minuendo, cumulat erogando.* Imperium hominis in aurum breve ac ſollicitudinis plenum eſt. Quis umquam perpetuus opum B dominus fuit? aliqui diebus pauculis, alii hebdomadibus aut menſibus non multis, in annos alii plures pauciores numerant argentum; monſtrate divitem centum annorum: ubi hoc monſtrum vivit? Eleemoſyna divitias in omne ævum colligit fruendas. Non poteris non habere, quod ita dederis. Quod confirmans Auguſtinus: *Det unuſquiſque*, ait, *non perit, quod dat. Non dico hoc. Non perit: ſed dico. Hoc ſolum non perit. Alia verò quæ non dederis, & abundant tibi, aut cùm vivis, amittis; aut cùm moreris, dimittis.* Nihil uniuſcujuſque tam eſt proprium, quàm quod eleemoſynis fecit alienum. *Quid quæris homo*, inquit Chryſoſtomus, *ubi pecuniam deponas? Chriſtus ſuſcipere paratus eſt, & depoſita tibi ſervare; nec tantùm ſervare, ſed etiam multiplicare, & cum fœnore multo reddere. Pro pecuniæ tuæ cuſtodiâ non repetit mercedem, ſed eam ipſe reddit. Quâ igitur ſumus excuſatione digni, quâ veniâ, quando cuſtodire valentem, & pro cuſtodiâ gratias habentem, & pro eâ præmia reddentem præterimus, & noſtra C tradimus cuſtodi debili, qui gratiam ſe facere putat, ſi nihil commiſſorum intervertat?* Eleemoſyna perdendo ſervatur, augetur, multiplicatur.

Aug. hom. 19. lib. 80. homiliarum.

Chryſ. in Pſ. hom. 2. mihi pag. 11.

9. Eleemoſyna pecuniæ profaniſsimæ ſanctimoniā induit.

Deut. c. 26. v. 13.

Nonus: *Eleemoſyna pecuniæ profaniſſimæ ſanctimoniam induit.* Sanctum eſt aurum, quo captivi redimuntur, quo virgines de pudicitiâ periclitantes matrimonio junguntur, quo peregrini aluntur, quo viduæ ſublevantur, quo inopes alii juvantur. Ita lex Moſis imperans: *Loquêris*, inquit, *in conſpectu Domini Dei tui: Attuli quod ſanctificatum eſt de domo meâ, & dedi illud Levitæ, & advenæ, & pupillo ac viduæ, ſicut juſſiſti mihi.* Flagitioſa eſt pecunia, quæ ſuperbiæ, quæ libidini, quæ avaritiæ, quæ aliis famulatur flagitiis. Quis pecuniam illam non appellet impiam, quâ ſaginatur cupiditas, quâ caſtitas oppugnatur, quâ veritas jugulatur, quâ perfidia nutritur, quâ ſuperbia erigitur, quâ gula paſcitur, quâ fi- D des corrumpitur, quâ tribunalia evertuntur, quâ innocentes opprimuntur? Dei donis ſapienter ac ſobriè utendum, ne materia honeſtæ actionis cauſſa fiat impietatis. Opes quæ miſeris opem afferunt, veræ opes ſunt.

10. Eleemoſyna pauperi data, non aliter quā Chriſto ipſi donata remunerabitur.

Matt. c. 25. v. 35. & ſeqq.

† Dei & hominum præſertim inopum amore.

Decimus: *Eleemoſyna pauperi data, non aliter quàm Chriſto ipſi donata remunerabitur.* Res hæc ſummi momenti, & altè animo combibenda. Chriſtus in ſuis eſurit ac ſitit, Chriſtus nudus, Chriſtus hoſpes, Chriſtus captivus eſt. Sol meridianus verba Dominica: *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare; ſitivi & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me; nudus, & operuiſtis me; infirmus, & viſitaſtis me; in carcere eram, & veniſtis ad me. Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Quaſi fœnus trajectitium facimus; hîc damus, ibi recipimus; in terrâ Chriſtus accipit, in cælo reddit. Noli de accipiente dubitare, noli diffidere de reddente; certiſſimi nominis, ampliſſimæ ſolutionis debitorem habes; tuum eſt cælum, modò illud utrâque manu attrahas. †

§. III. Vnde-

## §. III.

11. Eleemoſyna mercatura utiliſsima.
a Prov. c. 31. v. 14.
b Centū aſſis, ſeu 40. ſeſtertios.
c Leo ſer. 6. de jejunio decimi menſis.
d Plin. lib. 19. nat. hiſt. c. 8. mihi pag. 451.
e 150000.
f Piſces illi vulgo vocantur Botarga.
Radzivil. epiſt. 4. ſui Hodeporici, pag. 243.
g Guicciar. in ſuo Belgio mihi pag. 205.

VNdecimus fructus.: *Eleemoſyna mercatura utiliſſima. Facta eſt quaſi navis inſtitoris de longè portans panem ſuum.* [a] Aſſis unicus pauperi datus centuſſem [b] parit certiſſimo lucro. Beatus Leo hanc mercaturam ſuadens: Subſtantia tua, inquit, cùm bene erogatur, augetur: & concupiſcere juſtum miſericordiæ lucrum, eſt æterni quæſtûs ſectari commercium. [c] Affirmat Plinius, [d] Cordubam & Carthaginem è ſolis carduis ſativis annuatim incredibilem pecuniæ ſummam ſibi conflare. Priſci ſcriptoris verba ſunt: Certum eſt carduos apud Carthaginem magnam, Cordubámque præcipuè, ſeſtertia ſena millia, ut parciùs reddere. Sunt cẽtum quinquaginta millia philippeorum. [e] Addit; Quoniam portenta quoque terrarum in ganeam vertimus, etiam ea quæ refugiunt quadrupedes conſciæ. In Epiro, quæ Venetorum terra eſt, quotannis è ſolis cephalorum piſcium ovis, [f] viginti millia ducatorum colligunt. Ludovicus Guicciardinus, ut rem certam aſſerit, in Bataviâ è butyro tantùm & caſeis quovis anno decies centena millia coronatorum, ipſum auri millionem redigi. [g] Mercatura eſt lucroſiſſima. O Chriſtiane, mercatorem age, negotiationem exerce. Da panem, & accipe paradiſum; da nummum, & recipe regnum; da mortalia, da peritura, & immortalia & æterna brevî conſequêris. Eleemoſyna mercatura eſt, ſed illius naves nullo merguntur mari.

12. Eleemoſyna uſura laudatiſſima.
Prov. c. 19. v. 17.

Duodecimus: *Eleemoſyna uſura laudatiſſima.* Salomon, ut jam ſuprà demonſtratum eſt, apertiſſimè id pronuntians: *Fœneratur Domino*, inquit, *qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei.* O ſapientiſſimè dictum! Non dixit: Deo ponat, ſed commodat, ſed fœnori dat. Avaritiam noſtram & inſatiabilem cupiditatem ſolatur, nobiſque Deum oſtendit eſſe obligatum. Quid ergo, Deum judicem an debitorem malumus? Demus pauperi, itaque fœneremur Domino, & pro ſevero judice debitorem humaniſſimum experiemur Deum, qui ſe pro paupere & vadem & pignus ſtatuit. Leo proximè laudatus: *Deus*, inquit, *fidejuſſor eſt pauperum, & largiſſimus redditor uſurarum. Demus in uſuram*, ait Auguſtinus, *ſed demus Deo non homini.* Quod ſuaviter expendens Petrus Chryſologus, & Deum debitorem noſtrum fidenter alloquens: *Domine*, inquit, *tu vidiſti, quia in theſauris tota fides, tota ſpes in ſacculis ſit avaro. Et ideo imputribiles in cælo ſacculos vis parari, ut qui te non ſequitur ad cælum, ſequatur ſaltem ſacculos ſuos. Avare, fac tibi ſacculos, & fac jubente Deo: quia votis tuis annuit divina majeſtas. Sed fac tibi ſacculos erogando, quia quidquid pauper acceperit, Pater cæleſtis ſuſcipit. Et ubi recondit? in cælo. At ne fortè perdidiſſe te doleas uſuram, centuplum in cæleſti fœnore recipies, quidquid in cælum paupere tranſmiſeris perferente.* Eleemoſyna omnino uſurarum longè fœcundiſſima eſt uſura.

Leo ſerm. 6. de Iejunio.
Aug. ho. 29. lib 80. ho.
Chryſolog. ſerm. 25. mihi pag. 71.

13. Eleemoſyna ſcientiarũ & artium omnium multò lucroſiſſima eſt.

Decimus tertius: *Eleemoſyna ſcientiarum & artium omnium multò lucroſiſſima eſt.* Philoſophiam, ajunt non facere ad lucrandum panem. Calumnia eſt manifeſta. Nam unica pars Philoſophiæ, ſeu Matheſin, ſeu Geometriam dixeris, novum orbem reperit, è quo noſtrum inauravimus. Talis ſententia, talis ars atque ſtudium eſt eleemoſyna, modico pretio domos ampliſſimas maximas inaurat.

Suidas voce χρυσῆ εἰκών, mihi pag. 1078.

Novem Athenienſium Archontes, hoc eſt, ſummi Gubernatores, ut Suidas refert, cùm magiſtratum inibant, publicè jurabant, obſervaturos leges, neque paſſuros donis ſe corrumpi. Si quis ipſorum ſecus faxit, hunc mulctæ nomine ſtatuam auream corpori ſuo æquilebrem Delphis poſiturum. Lex nobis poſita eſt hâc voculâ DATE; ſed annexam habet promiſſionẽ lex iſta ET DABITVR. Da pauperi, & auream tibi ſtatuam in cælo collocaſti, teipſo centies majorem. Hæc illa tam arcana quàm lucroſa eſt ſcientia, intelligere ſuper egenum & pauperem, & metallo vili aureos montes facere ſuos. Rex Salomon eburneum regale ſolium puriſſimo veſtivit auro, iis ſumptibus, eoque artificio, ut regum faſti teſtentur: *Non eſſe factum tale opus in univerſis regnis.* Omnibus vel magnificentiſſimis regum operibus hoc unum antecelluit. Vbi nunc illud Salomonis ſolium eſt, ubi laminæ illi affixæ? Vtere, mi Chriſtiane, ſcientiâ miſericordiæ, argenteam in pauperes manum extende, & ſolium ex auro ſolidiſſimum Salomoneo ſublimius, magnificentius, diuturnius, æternum in cælo tibi poſuiſti. Rex eris, & in omne ævum ſolio tuo gaudebis; mors nulla te inde detrahet.

3. Reg c. 10. v. 20.

14. Eleemoſyna tributũ eſt, quod Regi cælorum meritiſſimo jure penditur.
Chryſ. hom. 35. ad pop. pag. 219.
Idem to. 1. in c. 1. Gen. ho. 4. mihi pag. 15.

Decimus quartus: *Eleemoſyna tributum eſt, quod Regi cælorum meritiſſimo jure penditur.* Chryſoſtomus velut tributi hujus diligentiſſimus exactor: *Hæc*, inquit, *ante omnia ſolvamus tributa omnibus ex cauſſis. Multa namque facilitas eſt, & major merces, & quæſtus amplior, & ingratos ſe præbentibus majus ſupplicium.* Copioſus ac vehemens fuit aureus hic orator in jurandi ac pejerandi conſuetudine abolendâ, non minùs tamen in eleemoſynâ extorquendâ: *Crucior*, inquit, *& doleo, quòd neque rerum experientia, neque tot & tales Dei promiſſiones, neque timor futurorum, neque quotidianæ admonitiones noſtræ apud tales proficiunt. Non tamen ceſſabo, etiam ſic, ab hoc conſilio, donec continuitate importunâ tandem victor reſipiſcere ipſos fecero, & à pecuniarum aviditate, quæ mentem eorum obtenebrat, eruere valuero.*

Matt. c. 18. v. 28.
Rom. c. 13. v. 7.
Matt. c. 22. v. 21.

Hîc ergo quilibet aſſiduè monendus & urgendus: *Redde quod debes*, redde Eleemoſynam quam egeno debes, hanc redde. Vociferatur Paulus, & urget: *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Hoc idem Chriſtus ipſe poſtulans: *Reddite*, inquit, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.* Hoc autẽ tributi genus inter eleemoſynæ fructus numeramus, quia quidquid Chriſto eſt tributum, nobis fit donum, atque ſic tribuendo longè veriùs accipimus quàm damus. Reddite ergo, reddite, quæ ſunt pauperis, pauperi: reddite, quod priùs accepiſtis, & quod reddendo copioſiùs recepturi eſtis.

15. Eleemoſyna famæ optimæ conciliatrix præſtantiſſima.
Prov. c. 3. v. 3. & 4.
Ioan. c. 12. v. 3.

Decimus quintus: *Eleemoſyna famæ optimæ conciliatrix præſtantiſſima.* Salomon id ſuo calculo probans: *Miſericordia & veritas*, inquit, *te non deſerant, circumda eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui: & invenies gratiam & diſciplinam bonam coram Deo & hominibus. Eleemoſyna*, inquit Chryſoſtomus, *in utrâque vitâ claros exhibet, in iſtâ famam comparans præclaram, in illâ gloriam tribuens æternam.* Vnxerat Magdalena pedes Domini, ac capillis exterſerat, & omnis domus unguenti odoribus impleta eſt. Vnguentis Chriſti pedes perlinunt, tergunt capillis, qui pauperes alunt eleemoſynis: ita civitatem totam, provinciam, regnúmve totum famæ melioris odor permeat. Da egenis, & Domini pedes terſiſti. Multa quæ tibi ſuperflua ſunt, Domini pedibus neceſſaria. Nemo eſt, qui virum in pauperes liberalem non commendet, non cælo extollat. Illuſtrius ac beatius eſt dare quàm accipere. Natura nobis ubique in exemplum dando præit. Cæleſtes orbes dant lumen, & arcana ſubſidia innumera: ex alto nobis ſol, pluviæ, & omne fertilitatis miniſterium: Ignis dat calorem, & multiplex ad vitam commodum: aër dat aves: aqua dat piſces: terra fructus porrigit: animantia carnes & lanam præbent. Æternus Pater dedit Filium, Filius dedit ſeipſum in trabe immolandum. Quid nos, dum tantùm accipimus? Res magna, ſi priùs accepta reddimus, ut & ipſa reddita, fœnore millecuplo recipiamus. Æmulemur naturam, & conciliemus famam. Fama peſſima eſt, avarus ille ac inſatiabilis Euclio: encomium illuſtriſſimum, vir miſericors.

§. IV. De-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

## §. IV.

16. Eleemoſyna hominem reddit Deo ſimilem. *Leo ſer. 10. de Quadrag.*

DEcimus ſextus: *Eleemoſyna hominem reddit Deo ſimilem.* Miſericordia namque imaginem Dei miſericordis, in homine miſericordi pingit & efformat. Beatus Leo: *Vbi Deus*, inquit, *curam miſericordiæ, ibi & imaginem ſuæ pietatis invenit.* Dixerit olim Poëta:

*Regia, crede mihi, res eſt ſuccurrere lapſis.*

Verius ego: Divina, crede mihi, res eſt miſeris ſubvenire, penuriam eorum ſublevare. Veriſſimè dixit Clemens Alexandrinus: *Imago Dei, homo benefaciens. Siquidem*, ut Nazianzenus loquitur, *nihil adeò divinum habet homo, quàm benefacere.* Divinitatis conſequendæ occaſionem, ô homo, ne abjice. Rex Hiſpaniarum, Rex Bohemiæ, Rex Galliarum, Rex Poloniæ, Rex Angliæ, Rex Pannoniæ, Rex Daniæ, magni tituli, ſed à Regnis perituris; Dei titulus eſt, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis; miſericors & miſerator Dominus, longanimis & multùm miſericors. Placet aſſimilari huic magno Regi? Modum oſtendens Chriſtus: *Eſtote miſericordes*, inquit, *ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Addit Chryſoſtomus interpres: *Non dixit, Si jejunetis; neque dixit, Si ſuppliciter oraveritis, ſi virginitatem illæſam ſervaveritis, ſimiles eritis patri veſtro: ſed quid?* Eſtote miſericordes. *Hoc Dei eſt opus, hoc ſi non habeas, quid habes? Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Frigidum eſt jejunium, ſterilis oratio abſque eleemoſynâ. Nihil ita Deum attrahit, ſicut Miſericordia: non enim ſpinæ radix umquam oleum parit, ſed olivæ: ita nec avaritiæ radix eleemoſynam, ſed miſericordiæ.* Deo facit ſimilem, hominis miſereri.

*Clem. Alex. l. 3. Strom. c. 9. Greg. Naz. orat. 16. de amore pauperum. Luc. c. 6. v. 36. Chryſ. to. 5. hom. 36. ad pop. mihi pag. 232.*

17. Eleemoſyna vires addit orationi maximas, eámq; facit exaudiri. *Tob. c. 4. v. 7.*

Decimus ſeptimus: *Eleemoſyna vires addit orationi maximas, eámque facit exaudiri.* Ita Tobias filio præcipiens: Noli, ait, *avertere faciem tuam ab ullo paupere, ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini.* Vis à Deo audiri preces tuas? tu pauperum priùs audias. Non perſuadebis Deo quod petis, niſi antè pauperum Rhetorica te flexerit.

*Eccli. c. 29. v. 15.*

Audias ſubinde deſidem & ignavum ſcribam dicere: Vellem, ut calamus ipſe ſcriberet, meâ manu feriante. Hîc ſimile quid: *Abſconde eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Etiamſi tu taceas; tua tamen pro te loquetur eleemoſyna, & quidquid volueris, impetrabit; nec unum aliquod, ſed omne malum à te ſubmovebit, non orans ſolùm, ſed exorans & impetrans, quod poſtulaverit. Addo: Non tantùm eleemoſyna tua, ſed & pauperes eleemoſynis tuis adjuti Numen tibi facillimè propitiabunt. Hi namque apud Deum eo loco ſunt, quo eſſe ſolent Principes, qui à regum cubiculis ſunt. *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus.* Primi admittuntur, præ ceteris omnibus exaudiuntur. Chriſtus pauperis habitu mendicat: negas pauperi? ergo negas Chriſto. Si ſemper pauperem, ſemper & Chriſtum exaudis. Tu jam ne dubita; vices rependet Chriſtus, parem reponet gratiam, te orantem numquam non exaudiet. Quod beatus Leo confirmās: [a] *Efficaciſſima eſt*, inquit, *ad exorandum Deum poſtulatio, cui pietatis opera ſuffragantur. Qui ſuum ab inope non avertit animum, citò ad ſe Domini convertet auditum.* [b] Chryſoſtomus vult domi, ubi ſolemus precari, arculam affigi, ut in eam ſemper priùs eleemoſynas conjiciamus, quàm preces fundamus. Eleemoſyna noſtris orationibus vim impetrandi tribuit: Eleemoſyna victrix Dei.

Eleemoſynæ propitium reddunt Deũ. *Pſal. 10. v. 27.* *a Leo ſer. de jejunio decimi mēſis. b Chryſ. ho. 43. in ep. 1. ad Cor. ut ſuprà monuimus.*

c 18. Eleemoſyna ſic vincit & expugnat Deũ, ut is hominē miſericordē ubiq; protegat. *Eccli. c. 29. v. 18. 1. Reg. c. 30. v. 11. & ſeqq.*

[c] Decimus octavus: *Eleemoſyna ſic vincit & expugnat Deum, ut is hominem miſericordem ubique protegat.* Siracides de eleemoſynis diſſertans: *Super ſcutum potentis*, inquit, *& ſuper lanceam adverſus inimicum tuum pugnabit.* Rex bellicoſiſſimus David, ſed ſimul in eleemoſynas proniſſimus, Amalecitam ſervum à ſuo domino deſertum, etſi ægrotum, etſi hoſtem, amantiſſimè complexus cibo ac potu refecit, & inter ſuos numeravit. Hinc David longè potentiùs eleemoſynis quàm ſcutis & lanceis, quàm ullis armorum præſidiis, quàm copioſis militum cuneis in omni periculo defenſus eſt. Abraham & ipſe bellicoſus, qui cum trecentis octodecim ſervis vernaculis quatuor reges fugavit, plus hoſpitalitate ac eleemoſynis, quàm pugnantium multitudine ac armis protectus, Deum familiarem ſibi ac faventem ſemper habuit. *Gen. c. 14. v. 14. & ſeqq.*

Nimirum quod Siracides teſtatur, Deus proſpector eſt ejus, qui reddit gratiam. *Meminit in poſterum, & in tempore caſûs ſui inveniet firmamentum.* De divite Hebræo Lazari carnifice narrat Evangelium: *Mortuus eſt dives.* Hem grandis caſus viri primarii! ſed quia vir iſte per eleemoſynas nullum ſibi ſtabile firmamentum, quo niteretur, paravit, ideo *ſepultus eſt in inferno.* Eleemoſyna ſtabilit, propugnat, protegit hominem, vincit Deum. *Eccli. c. 3. v. 34. Luc. c. 16. v. 22.*

19. Eleemoſyna meſſis geminata, rerum omniũ incrementum. *2. Cor. c. 9. v. 10.* Cauſſæ cur eleemoſyna ſit ſemini ſimillima.

Decimus nonus: *Eleemoſyna meſſis geminata, rerum omnium incrementum.* Hoc Paulus paucis complexus: *Qui adminiſtrat ſemen ſeminanti*, ait, *& panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum.* Eleemoſyna ſemini ſimillima ob plures cauſſas 1. Semen ſuo tempore ſparſum in eam granorum fœcunditatem creſcit, ut illud vix noſtris oculis credamus: eleemoſyna nunc expenſa, in vitâ hac ſemen, in alterâ ſeges & meſſis eſt longè uberrima. 2. Semen occultatur glebis; eleemoſyna mendiculis: fugit videri, jactantiam odit. 3. Semen non arenæ, ſed fertili terræ committitur; eleemoſyna non diuitibus, aut jam antè plenis, ſed egentibus ac miſeris tribuitur. 4. Semen non creſcit niſi ſæpiùs rigatum; eleemoſynam primam riget altera, riget tertia, & quarta, &c. riget commiſeratio vera. 5. Semen moritur, ut cum uſurâ reviviſcat; eleemoſyna perditur, ut cum fœnore ad dominum ſuum redeat. 6. Semen vile aut mixtum ſimilem ſibi meſſem provocat, meliorem, melius; eleemoſyna parca, tenuis, moroſa, raram aut vitioſam ſegetem producit. 7. Semen non uno loco ſpargitur; eleemoſyna in plures dividitur. 8. Semen brumâ opertum lætiùs provenit; eleemoſyna præmio præſenti viduata, & variis inſuper miſeriis cinctâ, æternæ beatitudinis proventus lætiſſimos promittit. 9. Semen in viam aut ſaxa vel ſpinas jactum interit; eleemoſyna perit, cùm in viam vanæ gloriæ cadit, aut ubi cor immite ac ſaxeum, vel divitiarum illecebris curarúmque ſpinis obſitum offendit.

Auguſtinus eleemoſynam ſemini ſimillimam agnoſcens: *Opera miſericordiæ*, inquit, *ſemina noſtra ſunt. Qui parcè ſeminat, parcè & metet. Ergo qui multum ſeminat, multum metet, & qui nihil ſeminat, nihil metet.* *Aug. to. 8. in pſ. 125. mihi pag. 604.*

Seminavit Chriſtus pauculos panes, & ſupra novem millia hominum iis ſaturavit; reliquiis panum, cophinos modò ſeptem, modò duodecim implevit. Prô quanta meſſis è tantillo ſemine! complures alii ſanctorum hominum eamdem ejecerunt ſementem. Ivo ſacerdos vir notæ pietatis & doctrinæ pane non magno complurium egenorum famem ſedavit. Arnulphus Sueſſionenſis Præſul quinque panibus, † & totidem vini menſuris ſupra ſeptingentos homines abundè pavit. Richardus Ciceſtrenſis Antiſtes pane unico tria millia hominum ſaturavit. Eleemoſyna meſſis eſt geminata: nam eleemoſynæ fructus tam in hac quàm in meliori vitâ percipiuntur. Chriſtus qui potuit augere dando, poteſt & multiplicare accipiendo. Tu modò non parcè ſemina, & ortum faciet fructum non trigeſimum, ſed centeſimum, ſed milleſimum, ſed infinitum. Si granum triticeum unicam ſpicam extruderet auream, aut gemmis nobilioribus refertam, topaziis, adamantibus, carbunculis onuſtam; ſuperi! quis ſemini comparceret? Hæc noſtra eſt infan-

*† Vulgò crudas mucas vocabant. De Ivone 15. Octob. de Arnulpho 5. Auguſti, de Richard. 3. April. Surius, Lippeloo, Harœus & alii.*

infantia (liceat dicere) hæc noſtra ſtultitia, aut inſania; auro & gemmis inhiamus, æternitatis gazas in vili habemus. Tu modò ſemina, & quantùm potes largiſſimè; omni auro gemmis omnibus pretioſiora metes. Eleemoſynæ meſſis non ſolùm aurea, non ſolùm gemmea, ſed auro & gemmis æternùm fructuoſa eſt.

20. Eleemoſyna Sanctorũ omniũ ſumma cura, ſummum ſtudium, potentiſſimum adjumẽtum.

Vigeſimus: *Eleemoſyna Sanctorum omnium prima cura, ſummum ſtudium, potentiſſimum adjumentum.* Tot ſingulares Numinis amici, tot homines ſancti virtutibus exercendis ſibi nonnumquam diſſimiles fuerunt. Hic quidem ſilentio, ille ſubmiſſioni, iſte patientiæ totum ſe conſecravit, alii aliis virtutibus magis ſtuduerunt. Cùm exercendæ miſericordiæ fuit occaſio, ſibi omnes ſimillimi fuerunt: unum eorum omnium patrem fuiſſe dixeris. Hîc unus omnium ardor & ſpiritus, vultus & color unus; in eleemoſynas non proni tantùm, ſed & effuſi omnes fuerunt; ut eos non fratres tantùm, ſed & gemellos agnoſcas univerſos incredibili benignitatis ſimilitudine.

*Vita Pachomii apud Roſvveid. c. 4. mihi pag. 114.*

Æra Conſtantini Cæſaris Pachomius annos viginti natus militiæ nomen dedit. Hic inter militares copias tiro dum ſigna ſequitur, ad aliquam Chriſtianorum civitatẽ pervenit. Ab incolis humaniter prorſus ac benignè habitus, ut Chriſti lex jubet, interrogare inſtitit, quódnam hoc genus hominum ſit, in liberalitatem ac miſericordiam adeò effuſum? Vbi audiit, Chriſtianos dici, alia atque alia de illorum moribus quæſivit. Iámque arbitris remotis ſolus, cælo manus attollens: Mi Deus, inquit, ſi mihi tui nominis veram contuleris notitiam, tibi uni jugiter adhærebo, tibi ſerviam. Dixit & fecit: ſacramento militari ſolutus, in Thebaidem abiit, ubi ſalutis fonte luſtratus diſciplinis ſanctioribus ſe totum mancipavit. Omnes Sancti miſericordiæ atque eleemoſynarum ſtudioſiſſimi.

Anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo tertio, Maurus ſacerdos Drepani ad Chriſtiana ſacra aditum ſibi munit eleemoſynis in captivos erogatis. Ita ille jam grandævus ſe Chriſto adjunxit, duce Miſericordiâ. Omnes Sancti eleemoſynarum largiſſimi. Quid multis opus? Cornelius Centurio ad Chriſtum & ad cælum viam ſibi ſtravit eleemoſynis. Angelo teſte, *orationes & eleemoſynæ illius aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.* Sanctorum hominum princeps cura ſummúmque ſtudium, eleemoſyna. Ideo Paulus exhortans: *Induite vos ergo,* inquit, *ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ.* Omnes Sancti eleemoſynarum ſtudioſiſſimi.

*Actor. c. 10. v. 4.*

*Coloſſ. c. 3. v. 12.*

§. V.

21. Eleemoſyna maximum in morte ſolatium.

VIgeſimus primus fructus: *Eleemoſyna maximum in morte ſolatium.* Promiſſum & velut chirographum à Deo eſt: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus; Dominus opem feret illi ſuper lectum doloris ejus.* Effatum hoc Petrus Chryſologus ponderans: *Non videbit diem malum,* inquit, *qui dies bonos habere pauperem fecit. In anguſtiis illum Deus clamantem audiet, qui pauperem cùm clamaret audivit. Sine cauſſâ accuſant peccata, quem pauper excuſat. Dominus conſervabit eum, & vivificabit eum. Conſervabit, ne rapiatur ad pœnam; vivificabit, ut à mortuis reſurgat, & recipiat vitam.* Dies mortis, dies profectò mala, quâ non pejor, dies peſsima eſt. Hac die liberalis in pauperes à tot malis liberabitur. Aderit illi Dominus, & letalem ejus lectulum ſolatiis perfundet, mortis dolores mitigabit ac minuet. Auguſtinus teſtis locupletiſsimus: *Numquam vidi,* ait, *hominem pium malâ morte finiri.* Nec Hieronymus meminit ſe legiſſe malâ morte ſublatum, qui charitatis & miſericordiæ opera libenter exhibuiſſet. Hæc Ambroſius confirmans: *Non,* inquit, *ſunt hominis bona, quæ ſecum ferre non poteſt: ſola miſericordia comes eſt defunctorum: Mille Podalyrii, Machaones & Æſculapii mille moribundum in vivis retinere, arte nullâ, nullis pharmacis poſſunt: at verò, quod Angelus Tobiæ dixit, à morte liberat eleemoſyna.*

*Pſal. 40. v. 2. & 4.*

*Chryſol. ho. 14. mihi pag. 42.*

Dies mortis, dies peſſima.

*Aug. ſerm. 44. ad fratres in ere.*

*Tob. c. 12. v. 9.*

Antæum commenti ſunt veteres ab Alcide vinci nequaquam potuiſſe, quòd Antæus terræ filius quotieſcumque dejectus fuiſſet contumacior reſurgeret, modò pedibus matrem contigiſſet, quæ filio novas identidem vires ſufficiebat. Pauperes ditioribus pedum loco ſunt. Ab his pedibus per eleemoſynas petendum robur, ut à morte, velut Hercule dejecti, vegetiùs reſurgant, atque ita in tempore caſûs ſui firmamentum inveniant, & poſt complexum Terræ matris glorioſiùs reviviſcant. Victrix ac triumphatrix mortis eleemoſyna.

*Pauperes apud Onirocritas pedũ nomine ſignificantur, Pierius lib. 35.*

22. Eleemoſyna luculentũ prædeſtinationis indicium.

Vigeſimus ſecundus: *Eleemoſyna luculentum prædeſtinationis indicium.* Hominum à Deo ad vitam electorum proprius eſt miſericordiæ affectus. Iobus, vir reverà electiſsimus: *Oculus fui cæco,* ait, *& pes claudo, pater eram pauperum:* Pauperibus adeò fauebam, ut iis non ſolùm eleemoſynas dare, ſed oculos cæco, pedes claudo reſtituere viderer. Non largitor, non patronus tantùm, ſed pater fui pauperum. Dormit in utramque aurem filius, at pater huc illuc in lectulo ſe verſans vigilat, & de pane cogitat ob curas inſomnis. Ita Iob, cùm pauperes dormirent, ipſe pervigil ſecum exquirebat, quod ægris aut obæratis, quod viduis & pupillis remedium compararet, unde illis aut iſtis lectulos vitæque neceſſaria ſufficeret, pater erat pauperum. Atque hoc eſt intelligere ſuper egenum, hoc arcanæ ad gloriam electionis ſignum. Canit Hebræus Pſaltes: *Iucundus homo qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in judicio: quia in æternum non commovebitur.* Ad philoſophiæ leges publicè diſputaturus, priùs argumenta circumſpicit: ita rationem redditurus judici Chriſto, ad judicium eleemoſynis ſe præparat. Argumentum habet validiſsimum iſtud: Dixiſti Domine; *Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur;* ego in tuos pauperes fui miſericors, ergo miſericordiam à te conſequar. *Memor eſto verbi tui ſervo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.* Tu tuâ in nos liberalitate nihil amittis, nec patrimonium tuum minuis; ego meum tui amore minui; cur igitur cæleſtem mihi gloriam, quam ſine incommodo tuo largiris, deneges?

*Iob c. 29. v. 15. & 16.*

*Pſal. 111. v. 5.*

*Matth. c. 5. v. 7.*

*Pſal. 118. v. 49.*

Argumentum in *DarI*, ajunt Dialectici, negari non poteſt: da ſtipem; & in *DarI* argumentum confeciſti; ſermones optimos in judicio uſurpandos diſpoſuiſti; ratiocinatio ſibi conſtat; concluſio non fallet; *in æternum non commovebitur, qui miſeretur & commodat.* Eleemoſyna charitatis ſoror, ſcelerum medicina, electorum nota eſt. Hominis cælo deſtinati eleemoſyna unicum obſervat oculum, ſed eum qui cernit omnia; illi uni probatam ſe cupit, à quo & præmium ſpectat. Date, ô Chriſtiani, date eleemoſynas quàm poteſtis largiſſimas, & ſimul gaudete, poſſe tam vili cælum emere.

*Darii dicũt Dialectici.*

*Pſal 111. v. 5.*

Eleemoſyna eſt electorum nota.

*Vide, obſecro mi Lector, quæ in Zodiaco meo de hoc Prædeſtinationis ſigno differui ſymbolo 7.*

23. Eleemoſyna gratiæ cõſervatrix fideliſſima.

Vigeſimus tertius: *Eleemoſyna gratiæ ac promeritorum conſervatrix & auctrix fideliſſima.* Eccleſia ſæpius precatur: Tribue, ô Deus, gratiam in præſenti, & gloriam in futuro. Gratia nobis nunc neceſſaria eſt: ſi non præcedat hîc gratia, non ſequetur illic gloria. Paulo ſtimulum carnis deprecanti reſponſum eſt †: *Sufficit tibi gratia mea.* Ne animo angaris, Paule, gloriæ ſemen eſt gratia: tu modò contentus eſto ſemine, ſuo tempore cernes ſegetem. Divina gratia res omnium pretioſiſſima, hanc fœcunditate incredibili auget eleemoſyna. Non, puto, infrequens eſt, ut homo letali noxâ inquinatus, & hoſtis Dei det eleemoſynam, quæ nihilominus certâ mercede non careat. Nam hæc talis eleemoſyna ab homine improbo data vel remunerationem

*† 2 Cor. c. 12. v. 9.*

tionem in re præſenti obtinet, aut Dei hoſtem ad pœnitentiam deducit, ut Deo reconcilietur, & in priſtinam reponatur gratiam. Cùm Iſaias præciperet eſurienti panem frangi, egenos vagóſque in domum induci, nudos operiri, promiſſionem addens liberaliſſimam: *Sanitas tua*, inquit, *citiùs orietur, & anteibit faciem tuam juſtitia tua; & gloria Domini colliget te: Tunc invocabis, & Dominus exaudiet.* Interpres dicti Theologus Aquinas clariſſimè: *Per opera pietatis*, inquit, *peccator liberatur à perditione æternâ, in quantum per hujuſmodi opera diſponitur ad hoc, ut gratiam conſequatur, per quam pœniteat.* Ingenioſè dixit Auguſtinus. *Ante fores gehennæ ſtat Miſericordia, & nullum miſericordem permittit in carcerem illum mitti.* Olim paradiſi aditum princeps Cherubicus rhompheâ flammeâ interclūſit: Nunc (ô benè mutatas vices!) ad inferorum portas excubat Miſericordia, & neminem ſuorum ingredi ſinit. Tanti eſt eleemoſyna, tantum gratiæ ac promeritorum colligit. Eleemoſynarum largitor aut conſtanter retinet innocentiam, aut celeriter redit ad pœnitentiam.

*Iac. c. 58. v. 8. & 9.*
*S Tho. 2. 2. q. 154. art. 2. ad 5.*
*Aug. to. 10. lib. 50. hom. hom. 29.*

## §. VI.

24. Eleemoſyna fiduciæ ac lætitiæ parens.

Vigeſimus quartus: *Eleemoſyna fiduciæ ac lætitiæ parens*, ſpem & fiduciam in Deum accendit, gaudium & lætitiam ingerit. Peregrini, hoſpites, mendici ſumus omnes. alienâ & exterâ regione diverſamur; nihilominus ſceptrum ſperamus & diadema regium: eleemoſynæ dabunt, nemo ambigat, à centonibus ad purpuram evocabimur. Noſtra nunc vita mendicitas mera. Mendicus eſt vel ditiſſimus mortalium, vel opulentior Crœſo. Quid enim aliud ſunt divitiæ, quàm copioſæ Dei eleemoſynæ? Noſtræ nos conditionis commonefaciens Auguſtinus: *Mendici Dei ſumus*, inquit, *ut agnoſcat Deus mendicos ſuos, agnoſcamus nos noſtros. Quam frontem habes petendo ad Dominum Deum tuum, qui non agnoſcis parem tuum? Neſcis*, inquit Chryſoſtomus, *quòd in alienâ regione moramur, tamquam hoſpites & peregrini? Neſcis quòd peregrinorum eſt expelli, cùm non exſpectant; quod & nos patimur: propterea quidquid comparaverimus, hîc dimittimus.* Cur igitur hîc locupletari volumus, unde forſan ante veſperem emigrabimus? Servos, familiam, conſanguineos nobiſcum non abducemus; opes, quas collegimus, non auferemus; domos, quas ædificavimus, non aſportabimus; villas, prædia, agros, latifundia quæ poſſedimus, relinquemus; viam ignotam inibimus ſoli; comes eſſe poterit Miſericordia. Pecuniæ in choreas aut venationes, in convivia & potationes, in ludos aut laſciviam expenſæ nos neutiquam ad tribunal Chriſti tuebuntur. Quidquid pauperibus datum eſt, fidiſſimo comitatu ad judicem perducet, defendétque certis patrociniis. Hinc gaudium & lætitia, hinc ſpes & fiducia. Oraculum Tobiæ veriſſimum, orbi promulgandum. *Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.* Hinc Ambroſianum illud: *Omnis ſumma diſciplinæ Chriſtianæ in miſericordiâ & pietate eſt. Et conſidera, † quanta tibi tum erit gloria* (quanta fiducia) *cùm te omnis ille populus, qui ex promptuariis tuis paſtus eſt & refectus, pro tribunali magni illius & juſtiſſimi judicis catervâ conſtipante circumdabit, paſtorem te ſuum, ac tutorem pium, & miſericordem patrem omni gratiarum voce teſtabitur? Si ergo & tu gloriam* (fiduciam) *ex divitiis quæris, cognoſce quia melius eſt mille filiorum, quos per miſericordiam filios acquiſieris, patrem vocari, quàm mille aureorum dominum dici.* Eleemoſyna lætitiæ ac fiduciæ mater. Eleemoſyna larga, fiducia maxima.

*Aug. ſer. 5. de Verbo Domini.*
*Chryſ. to. 5 ho. 16. mihi pag. 231.*
Miſericordia ad tribunal Chriſti nos tuebitur.
*Tob. c. 4. v. 12.*
*Ambr. to. 5. ſer. 81. mihi pag. 863.*
*† Principibus præcipuè conſiderandum.*

25. Eleemoſyna immortalitatis & vitæ æternæ pretium eſt.

Vigeſimus quintus fructus: *Eleemoſyna immortalitatis, beatitudinis, æternæ vitæ pretium eſt.* Hac monetâ cælum emimus; ære modico bonum infinitum. Copioſiſſimi ſunt priſci Patres in laudandis, & multò magis

A in eliciendis eleemoſynis. Sed nihil, putem, teſtatius, nihil luculentius, ſublimius nihil eſt ad commendandas eleemoſynas, quàm quod Chryſoſtomus ore ac calamo luculentiſſimè teſtatus eſt orbi. Ipſiſſima ſacri ſcriptoris verba ſunt: *Eleemoſynæ multâ cum facultate cælorum aperiuntur portæ. Ac velut Reginâ ingrediente, nullus cuſtodum ipſis in portis poſitorum audet interrogare, Quæ ſit, aut unde iter agat; magis verò illico ſuſcipiunt omnes. Sic eleemoſyna Regina omnino eſt, & Regina virtutum, homines celerrimè ipſorum in cælorum axes adducet, advocati optimi loco fungens. Magna res eleemoſyna, præcidit aërem, tranſit lunam, ſolis radios cædit, ad ipſum venit cælorum culmen, ipſos pertranſiens cælos, & Angelorum populos decurrens, & Archangelorum choros, & omnes ſuperiores poteſtates, ipſi aſſiſtit regali throno.*

*Chryſ. to. 5. ho. 8. & 9. de pœnit. mihi pag. 747. & 756.*

Ne miremur hoc elogium. Chriſtus humanæ gentis incorruptiſſimus eſt judex, cum tamen eleemoſyna & audet & poteſt corrumpere, ut pæne ultrà quàm B ſatis eſt faciat, & in condonando longiùs procedat, & ſponte fateatur ac dicat: Demus hoc eleemoſynæ. Eſurivi, & dederunt mihi manducare. Ita judex è juſto fit benignus; ita miſericordiam anteponit veritati; ita in ſtaterâ juſtitiæ, lanci peccatorum ob injectas manus pauperum præponderat lanx meritorum; hæc illam eleemoſynarum mole prægravat. *Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur*; paratum ſibi regnum à conſtitutione mundi poſſidebunt.

*Matth. c. 5. v. 7.*

Verùm enimverò narrandis eleemoſynæ fructibus ad finem numquam pertingemus. Nam rectè dixit Nazianzenus: *Beneficentiæ erga pauperes infinita ſunt commoda.* Beatus Thomas Aquinas miſericordiæ vires ſubtili trutinâ examinans: *Miſericordia*, inquit, *inter virtutes proximum reſpicientes, principatum obtinet, ſecundùm ſe maxima virtus, & Deo maximè propria: nam ſumma religionis Chriſtianæ in miſericordiâ conſiſtit.* C

*Greg. Naz. orat. 16 de amore pauperum.*
*S. Tho. 2. 2. q. 30 in c. & art. 4.*

Sunt autem Charitas & Miſericordia diſtinctæ virtutes. Amicitia porrò & Charitas aut pares accipiunt, aut pares faciunt: Miſericordia verò excellentiam habet, quâ inferiorem reſpicit, quem ſublevat. Charitas hominem *quâ bonum*, Miſericordia *quâ miſerum* complectitur: eſt enim miſericors quaſi Deus miſeri, quem juvat. Quâ quidem in parte Charitas velut inferior Miſericordiæ cedit, illique dat primas. Porrò eleemoſyna liberalitatis aut miſericordiæ ſoror eſt, charitatis filia. * Sed hæc è Theologiæ fontibus vel libâſſe ſaltem ſuffecerit.

** Nam eleemoſyna miſericordiæ actus eſt, miſericordia charitatis. Iuſt. Tho. 2. 2. q. 31. & 32. ubi expreſsè: Eleemoſynâ dare, actus charitatis eſt, interveniente miſericordiæ affectu.*

Ergo, dum licet, eleemoſynæ fructus colligamus: dum vivimus, dum ſani ſumus, quantâ poſſumus liberalitate, ſtipem ſpargamus. Lucia virgo cùm matrem Eutitiam ad erogandas pauperibus facultates hortare- D tur, illáque ſuaviter reſponderet: Vitæ ſuæ finem opperiretur, tum demum quod vellet de ſuis opibus factura. Cui filia: Non eſt, ô mater, inquit valde gratum Deo munus, quod tunc offerimus, cùm illius uſum ſuprema dies eripit. Da quæſo, dum ſana es, ne ſi moriens dederis, invita dediſſe arguaris; rem utique, quam, velis nolis, deſerere cogêris. Victa rationibus Eutitia, laudavit filiæ ſententiam. Lucia verò jam bonis omnibus ad votum diſtributis, cùm ſacrificare diis juberetur: Sacrificium Deo acceptiſſimum eſt, inquit, eſurienti panem frangere, egenos vagóſque in domum ſuam inducere, nudos operire, *pupillos & viduas in tribulatione eorum viſitare.* His victimis placatur Deus.

*Iſa. c. 58. v. 7.*
*Iac. c. 1. v. 27.*

CA-

# CAPVT VII.

## Epilogus

### *Dictorum omnium.*

ERgo ſpargimus ut colligamus, diſtribuimus, ut recipiamus auri montes, gemmarum maria pro plumbi lamellis. Sed *non omnes capiunt verbum iſtud.* Sunt qui tantùm colligant, dum ipſi in ſepulchrum, bona in hæredes ſparguntur. Vlmum mihi conſidera in nubes pæne attollentem caput, ingentem habet truncum, ramos plurimos, folia innumera, fructum nullum, quamvis ad aquas depacta. Sed & pomum arborem non magnam, nec aquis vicinam, pomis tamen refertam. Quid hoc rei? procera & craſſa ulmus plurimum ſucci è terrâ trahit, ſed id omne in brachia, in truncum, in folia protrudit; arbor pomifera licet exigua vim ſuam omnem in fructus & poma mittit. Ita divitorum aliqui, divitias, quas è terrâ ſumunt, in famulos, in paraſitos, in ſupellectilem, in equos, in convivia conſumunt. En ulmos proceras, ſed ſteriles & infœcundas, è quibus centones vix quidquam auferant.

*Matt. c. 19. v. 11.*

*Fuit pomus ſtatura mediocris, quæ quatuordecim millia pomorū tulerit; ſuprà dictum.*

Talia ſunt & flumina, quæ maximam aquarum copiam ſecum devehunt, ſed arentibus terris, quas tranſeunt, nihil communicant. Iberus, Tagus, Durius, copioſi fluvii, ſed ſitientem glebam non rigant. Ita opulentorum nonnulli, quidquid opum poſſident, intra ſuas ripas continent, parum inde in areſcentes pauperes emanat. Non negat Chryſoſtomus moveri ſibi bilem, ſpectanti frenos equorum aureos, ephippia acu picta, & quidquid horum luxus ſpectandum objicit, dum intereà pauperes ſeminudi algent, & neque cum canibus & equis in partem venire poſſunt. Hæc hactenus occinui. Vereor demum, ne illud Evangelii cogar uſurpare: *Cantavimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis.* Cantores multi, ſed qui ſaltent in hoc liberalitatis odeo, pauci ſunt. Nos hîc clauſulam apponemus dictis. Vt ſaltem hæc paucula compendio adjuncta nemini non conſtent. 1. Eleemoſynas totis Bibliis ubique commendatiſſimas, nec ferè aliud adeò urgeri. 2. Eleemoſynas à priſcis Patribus frequentiſſimè ac ſummè laudatas. 3. Avaros & immites pecuniæ amatores, vera immiſericordiæ mancipia, graviter punitos. 4. Benignos ac liberales pauperum patronos copioſiſſimè remuneratos. 5. Eleemoſynarum largitionem eſſe variam.

*Luc. c. 7. v. 32.*

## §. I.

*Eleemoſyna divinis oraculis laudatiſſima.*

PRimum: *Eleemoſyna divinis oraculis laudatiſſima.* Per omnem ubique Scripturam, inquit Chryſoſtomus, ſuper hac re ſermo eſt. A Geneſi ad Apocalypſin ſacras paginas evolve, & piæ liberalitatis encomia reperies creberrima, maxima. Quid dici poteſt amplius? *Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.* Quid gravius, quid ſpecioſius hoc elogio? Chriſtus ipſe ſupremum Veritatis oraculum, imò ipſa Veritas: *Verumtamen quod ſupereſt,* inquit, *date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Extremi judicii die, de ſolis eleemoſynis diſcutienda quæſtio proponitur.

*Chryſ. to. 3. ho. 35. in c. 11. Act. Apoſt. mihi pag. 528. Tob. c. 4. v. 11. & 12. Luc. c. 11. v. 41.*

Grammaticæ, Poëticæ, Rhetoricæ diſcipulus examen ſubiturus id anxiè verſat animo: Si ſcirem quæ in examine interrogandus eſſem, reſponſum jam pararem. Heus Chriſtiane, die mundi ultimo examinaberis; tu jam reſponſum para. Sed præſcire potes, imò debes, quid examinandus ſis; jam præmoneris, idque ſexcenties, idque millies. Princeps erit quæſtio, quoties, quomodo, quantum eleemoſynarum dederis; an panem, veſtem, an pecuniam amore Chriſti largitus fueris. Apta reſponſio non è libris, ſed è loculis petenda. Iam illam pete, jam loculos in Chriſtum pauperem, ſed futurum judicem effunde.

*De quâ re examinādi in extremo judicio.*

Supremus hic judex naturam ſpeculorum imitabitur, quorum quæ veriora & exactiora ſunt, talem repræſentant vultum, qualis eſt vultus ſpeculo præſens. Si turpis deformem, ſi formoſus elegantem, ſi alacris hilarem, ſi mœſtus triſtem, ſi iratus ferocem, ſi mitis ſuavem, ſi timidus paventem. Speculi laus eſt, inſpicientis autem culpa, ſi fœdus & indecorus proſpicit, qui vitrum illud inſpicit. Ita æquiſſimum Chriſti judicium, & ipſius vultus judicis noſtras affectiones induet: qualiacumque fuerint à nobis commiſſa, talia tunc noſtris oculis objicientur ab illo ſpeculo divino. Si duri fuimus & immiſericordes, talem cernemus judicem, & decretum velut in tabellâ terrificum legemus: *Ite maledicti in ignem æternum.* Si miſericordiæ viſcera patefecimus, per patulum ac hians [illegible]ſeúmque lateris Dominici vulnus in corde Chriſti penito inſcriptum cernemus illud mellitiſſimum: *Venite benedicti.* Tunc judicis mater oliva ſpecioſa ramos non degeneres agnoſcet. *Erit* enim *quaſi oliva gloria noſtra.* Tūc Angelus percuſſor nil ampliùs nocere poterit, cui præceptum eſt; *Vinum & oleum ne læſeris.* Tunc judici fiduciâ familiariſſimâ licebit dicere: Da, quia dedimus, quia tui cauſsâ, quia tibi dedimus, miſerti ſumus aliorum, tu noſtri miſerere: fecimus quod juſſiſti, imple quod promiſiſti. Tunc reſpondebit nobis & juſtitia & miſericordia noſtra. Impetrate quod petitis, quia juſta petitis. Mihi (dicet judex) miſericordiam tribuiſtis, quæ præmium capere poteſt; accipite præmium, cujus pretium æſtimari non poteſt. Fragmen panis famelico mihi dediſtis? nunc meipſo ſaturamini, qui panis ſum vitæ. Peregrinos tecto recepiſtis? vos Angelorum cives facio. Algentem & nudum me lanâ foviſtis? nunc ab igne & frigore, ubi fletus & ſtridor dentium, liberatos purpurâ immortalitatis veſtio. Oculus cæco, claudis ſcipio, manus debilibus fuiſtis; nunc oculi veſtri nil ampliùs caliginis, nunc manus plantæque veſtræ nil fatigationis ampliùs habebunt. Miſeros auxilio, afflictos ſolatio levaſtis, nexos liberaſtis; venite dilectiſſimi, poſſidete paratum vobis regnum, à quo mœror, gemitus, dolor, mors omnis procul exulat. Fulgebitis ſicut ſol, & gaudebitis in omni voluptatum affluentiâ, in perpetuas æternitates; nam ſicut auctoris veſtri perennitas non habuit initium; ita felicitas veſtra non habebit terminum.

*Matt. c. 25. v. 41. Matt. c. 25. v. 34. Oſeæ c. 14. v. 7. Apoc. c. 6. v. 6. Gen c. 30. v. 33.*

Eleganter hæc Petrus Chryſologus hunc in modum exponit: *Non dixit, Eſurivit pauper, & dediſtis illi manducare. Sed Eſurivi ego, & dediſtis manducare mihi. Sibi datum clamat, quod pauper acceperit; ſe manducaſſe dicit, quod comederit pauper; quod biberit pauper, ſibi teſtatur infuſum. O quid agit amor pauperis! Gloriatur in cælo Deus, unde pauper erubeſcit in terra; & hoc reputat in honorem ſibi, quod pauperi computatur injuria. Nimium eſt, quòd ſapit Deo pauperis cibus. Saginatum ſe pauperi eſcâ prædicat in regno cæli coram omnibus Angelis in conventu reſurgentium. Quòd Abel paſſus ſit, quòd mundum ſervarit Noë, quòd Abraham fidem ſuſceperit, quòd Moſes legem tulerit, quòd Petrus crucem reſupinus aſcenderit, Deus tacet; & hoc ſolùm clamat, quòd pauper comedit. In cælo prima eſt eſurientis annona, prima ſtipendia pauperis tractantur in cælo, erogatio pauperis prima divinis ſcribitur in diurnis. Beatus, cujus nomen toties Deo legitur, quoties ratio pauperis recitatur in cælo.*

*Chryſol. ſer. 14. mihi p. 42. Hæc eadē fusè tractat Chryſoſt. tom. 3. hom. 5. de pœniten. mihi pag. 738.*

Eſt prope † Puteolos horribilis ſpecus, in eam ſi animantia ingrediantur, aut moriuntur, aut humi dejecta mori creduntur. Eadem ſi extrahantur, & aquâ perfundantur, mox fugitivam animam recipiunt. Immenſum mors antrum habet. Quiſquis hoc ſubit, pedem

*† Creberrimā id teſtatur experiētia. Ita Octavian. de Tuſo in c. 17. Eccli. mihi pag. 586.*

pedem non refert vivus. At eleemoſyna inſtar vitalis undæ, vim omnem mortiferæ ſpecûs retundit: *Eleemoſyna à morte liberat.*

*Chryſ. tom. eod. ho. 33. pag. 220. Prov. c. 3. v. 3.*

*Quid itaque*, ait Chryſoſtomus, *differs & torpes? cùm jam tanta receperis, & tot expectes? quid circa pereuntes pecunias tam puſillanimiter agis?* Audi admonitionem perutilem: *Eleemoſyna ac fides non te deſerant. Non dicit, ſemel facias, neque ſecundò, neque tertiò, nec decies, nec centies, ſed perpetuò. Quemadmodum divitum liberi circa collum bullam habent auream, illámque numquam deponunt, utpote quam tamquam nobilitatis ſuæ inſigne geſtant: ita & nos eleemoſynâ ſemper amiciendi ſumus, ut oſtendamus nos miſericordis ac benigni patris eſſe filios.*

*Ambr. to. 5. ſer. 81. mihi pag. 893.*

*Quòd ſi magiſtratus*, inquit Ambroſius, *mimis & athletis, & gladiatoribus in theatris totum pæne patrimonium largitur & prodigit, ut vulgi favorem nihil ſibi profuturum colligat: tu dubitas & cunctaris munificus eſſe in hujuſmodi largitionibus, in quibus judex reſidet Deus, faventium & acclamantium vulgus Angeli; ubi omnes qui à ſæculo fuerunt Sancti, laudatores & prædicatores tui ſunt: ubi laus & favor non ſimul cum die ceſſat, ſed cum ſæculis permanet: ubi honores non unius urbis, ſed cælorum regna mereberis. Et hæc omnia conquiruntur per miſericordias pauperum. Veni ergo, ſi videtur, ſi horum quæ dicimus, apud te fides vera eſt, divitias noſtras conſultè & utiliter diſponamus.*

## §. II.

Eleemoſynæ à priſcis Patribus ſūmè ſunt commendatæ.

ALterum: *Eleemoſynæ à priſcis Patribus frequentiſſimè ac ſummè ſunt commendatæ.* E ſuperioribus, cenſeam, abundè id liquere. Neque hîc animus eſt benevolas Lectoris aures onerare. Aureus orator Chryſoſtomus pro pleriſque omnibus locuples teſtis his omnino verbis pronuntiat:

*Chryſ. to. 4. ho. 16. in ep. 2. ad Cor. mihi pag. 724. Idē repetit to. 5. ho. 7. de pœnit. pag. 745.*

*Magnum & pretioſum quid, homo miſericors. Iſta major eſt gratia quàm mortuos excitare. Nam eò quòd in nomine* Iesv *mortuos excitant, hoc multò majus eſt quòd pauperes paſcunt Deo. Nam hîc quidem tu Chriſto benefacis, illic autem ipſe tibi; hîc (de ſignis loquor) ipſe debitor efficeris Dei; in eleemoſynâ Deum debitorem conſtituis. Eleemoſyna autem eſt, quando cum alacritate fit, quando cum liberalitate; quando non putas te dare, ſed accipere, quaſi lucrum faciens, & non perdens; alioqui neque gratia eſt.*

*Idem to. 5. hom. 33. ad pop. pag. 219.*

Fuit Chryſoſtomus tam vehemens ac copioſus in commendandis eleemoſynis, quàm in objurgandâ jurandi conſuetudine acer & diſertus. Hinc illæ oratoris Græci querelæ: *Iam enim ipſe confundor*, inquit, *ampliùs diſſerens de eleemoſynâ, eò quòd frequenter de hac materiâ verba fecerim, & nihil dignum effecerim admonitione. Nam factum quidem eſt aliquid melius, ſed non tantùm quantùm ipſe volebam. Vos namque ſeminantes quidem videmus, ſed non largâ manu: propterea timeo ne & parcè metatis.*

*Ibidem.*

Addit: *Etiamſi ſemper hîc viveremus, neque ſic tamen pecuniæ parcere deberemus. Quam enim habebimus defenſionem, nec ex proventibus miniſtrantes eſurientibus & laborantibus? Nec enim cogo te patrimonium diminuere, non quod nolim, ſed quoniam te valde torpentem video. Non hoc itaque jubeo, ſed ex fructibus expende, nihilque theſaurizes.*

O triſte avaris verbum! nihil theſaurizare, mors illis eſt. Sed hîc, ô deparci, frænos mordete: non hoc Chryſoſtomi dumtaxat conſilium, ſed Chriſti præceptum eſt: *Nolite theſaurizare.* Theſaurus terræ, irriſus cæli brevem opulentiam ah quoties æterna ſequitur paupertas! Nihil igitur, quod Chryſoſtomus monet, quod Chriſtus jùbet, nihil theſaurizes. Diſpenſator es, non dominus, cur igitur & cui theſaurum colligis?

*Matth. c. 6. v. 19.*

*Ambr. to. 5. ſer. 81. mihi pag. 891.*

Ambroſius ejus rei commonens: *Diſpenſatorem*, inquit, *conſervorum tuorum te ex dominicis facultatibus eſſe cognoſce. Nec exiſtimes quòd omnia ventri & deliciis tuis terra producat. Quæ in manibus habes, commiſſa tibi magis quàm conceſſa cognoſce. Parvo tempore ſuper iis aliquantulum lætaris, & abuti eis voluptuoſiùs delectaris: cùm verò hæc pariter cum vitâ noſtrâ defluxerint, rationem diſpenſationis noſtræ vocamur Domino reddituri. Hîc mihi te paulliſper indulge, ô quiſquis es, qui divitiarum diſpenſationem in hoc mundo ſortitus es, & te in illò terribili Dei judicis tribunali aſtantem paullulum quid vacans, ſi tamen vacare potes, à divitiarum ſollicitudinibus, intuere. Cùm interrogari cœperis: Commiſſas tibi opes cum quibus egentibus diviſiſti, quibus neceſſitatem patientibus ſubveniſti, quos de carceribus liberaſti, quibus pupillis pater, cui viduæ vir caſtis proviſionibus exſtitiſti? pecunia mea, fructus mei quid apud te operis habuêre? Tu ad hæc ſine dubio reſpondebis: Omnia ſimul compoſita ac recondita clauſtris validiſſimis & ſignaculis tutiſſimis communivi, nulli quidquam tribui quin imò & ad cuſtodienda ea vigilias meas addidi, curas impendi, ſollicitudines adhibui.*

*Idem to. ... in c. 7. ... mihi pag. 126. Luc. c. 12. v. 19.*

Sed jam audi ſententiam: *Stulto conſiliario uſus es temetipſo.* Hac nocte repetent à te animam tuam, & quæ paraſti cujus erunt? *Si ergo deſideras gratiam, auge charitatem. Plus tibi pecunia illa proderit, ſi non tamquam affluentem tribuas, ſed tamquam profuturam Chriſti nomine largiaris; ſi ita conferas pauperi, ut deferas Chriſto.*

*Baſil. ... de Eleem. & in c. ... Luc.*

Hæc Baſilius eximiè confirmans: *Sicut ſemen*, inquit, *in terram jactum fructum centuplum, ita & eleemoſyna data pauperi. Si ergo unus tantùm tibi ſit panis, & ad fores rogatur, deprome illum, & tollens manus in cælum dic: De modico do fratri, & tu Domine da mihi periclitanti. Nec dubita; quin panis, quem in hac dabis penuriâ, agriculturæ ſemen ad copiam miniſtrabit. Sicut autem putei continuò exhauſti, copioſiore fluunt aquâ, dimiſſi verò & quieti facilè putent; ſic & opes reconditæ inutiles ſunt, tranſlatæ in pauperes fructum pariunt.*

*Martyr. Rom. ... Aug. ... l. 4. Dial. c. 36 ... nos ſupra.*

Hinc iſte vir ſanctus, cui nomen Deus-dedit, in egenos tam munem & effuſum ſe præſtitit. De quo Gregorius: Habitabat juxta nos, inquit, vir pius ac religioſus, opificio ſutor, qui ſuendis calceis per hebdomadem manu pretium collegit, quidquid autem ex eo victûs & veſtitûs neceſſitas reliquit, id omne die ſabbati ad templum deferens in pauperes erogavit. Hanc ob cauſam hujus opificis domum vir ſanctus quovis ſabbato vidit ædificari & creſcere.

*Aug. ... de Verb. D. ... ſerm. 25. mihi pag. 541.*

Eleemoſynam rectiſſimè ſemen dici jam ſuprà oſtendimus, quia non eſt ſumptus, ſed redditus: hoc ſemen ſemel ſpargitur, bis metitur, in hac & meliori vitâ. Sed ſemen hoc ſpargendum eſt, antequam mortis hiems ingruat. *Ideo*, inquit Auguſtinus, *rogans dives non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non audivit in terris. Dives & pauper, duo ſibi ſunt contraria. Sed iterum duo ſibi ſunt neceſſaria. Nullus indigeret, ſi invicem ſe ſupportarent; & nemo laboraret, ſi ſe ambo juvarēt. Dives propter pauperem factus eſt, & pauper propter divitem creatus eſt. Da ergo petenti, ut ipſe poſſis accipere; tribue pauperi, ſi non vis flāmis exuri; da in terrâ Chriſto, quod tibi reddat in cælo. Obliviſcere quod es, & attende quod futurus es. Præſens vita fragilis eſt, & in mortem proclivis. Nemo poteſt ſtare, ſed omnes cogimur tranſire. Nolentes imus, inviti eximus, quia mali ſumus. Si autem ante nos aliquid mitteremus, non ad inane hoſpitium veniremus. Quod pauperi damus, ante nos præmittimus. Dona pauperum, lucra ſunt animarum.*

*Notanter ob... Chryſ. ... 2. in c. 16. Luc. ... Z. ... pag. 1173.*

## §. III.

*Avari & inamiti graviter puniti.*

TErtium: *Avari & immites pecuniæ amatores graviter puniti.* Verè ſignum in ſcopulo, purpuratus Epulo in carcere inferno, negavit micas, decidit in flammas. Narrant diverſi, Anno Chriſtiano nongenteſimo ſeptuageſimo, ævo Othonis Magni Cæſaris, Moguntiæ egiſſe Hattonem, ſecundum ejus nominis Antiſtitem, quâ quidem tempeſtate dira fames Germaniam populabatur. Hatto pauperum complures in amplum horreum ſpe ſtipis congregari, ſed plurimis jam congregatis domum illam ligneam incendi juſſit, quando hoc genus hominum conſumendis fru-

*Coſmographia Münſteri lib. ... Marianus Scotus, Genebrar. l. ... Chronogr. ſub an. 970.*

gibus

*At Nicol. Serarius de rebus Moguntiacis ſex tertitibus exactè hanc fabulâ refellit, mihi pag. 692. ab hujus ego parte cenſeam ſtandum, qui rē ceteris accuratiùs examinavit.*

gibus naturâ nil differret à muribus. Cùm autem ululatus ac ſtridor horribilis jam ardentium audiretur, dixiſſe ferunt Hattonem: Audin', ut mures ſibilent? Deus tyrannidem exoſus, mures catervatim in hominem immiſit. Hi Dei milites ita miſerum diu noctúque afflixerunt, ut medio Rheni ad Bingam oppidum turrim eduxerit. Fruſtra. Nil agunt hominum arma, cùm Deus impugnat. Nam mures agmine facto ſine cymbâ trajecerunt Rhenum, & deſtinatam ſibi prædam invaſerunt. Ita infelix inter mures mortē obijt ſe dignam. Cavillum luit, homicidium ſenſit, cibus murium fuit, qui turbam famelicam, ut mures, jugulavit. Ferunt ipſum etiam hominis nomen è parietibus & tapetibus ab ultricibus beſtiolis eraſum. Hæc ego ſic geſta non affirmo. Hoc aio: Longè ſuavius eſt à muribus torqueri, quàm à dæmonibus: levius eſt ſuppliciis puniri vel exquiſitiſſimis, ſed demum finiendis, quàm flammis cruciari ſempiternis. Epulo Hebræus mendicorum carnifex, homicida Lazari, non in murium turri, ſed in inferno reperit ſepulchrum, non inter mures, ſed inter dæmones aſſiduè moriturus, ſemper ſepultus. Hoc expendens Iſidorus: *Multi ait, te Lazari circumdant, in eos pecuniarum flammam excute, & cum his illic refrigerationem ac ſolatium conſequeris.* Parata ſunt immiſericordiæ ſupplicia.

*Iſido. Peluſiota l. 1. ep. 215.*

*Baron. to. 7. Annal. ann. 533. è Cedreno.*

Doctiſſimus Cæſar Baronius è Cedreno hominis deparci fatum ſubitum ita memorat. Anno à partu Virginis quingenteſimo quinquageſimo tertio, Conſtantino Heraclii filio imperante, civis opulentus Conſtantinopoli vitæ anceps decubuit. Et quia mortem formidavit, auri libras triginta in pauperes erogari juſſit, magnâ quidem, ſed trepidâ liberalitate. Valetudini præter ſpem jam reſtitutus tam inſignis facti pœnitere cœpit. Hunc animi mœrorem & pœnitentiam ſanè turpiſſimam amico aperuit. Monuit ille hominem, ne pœnitendam duceret hanc largitatem; Numini porrò fideret, ac remunerationem expectaret. Nil verbis motus Euclio in ſententiâ obſtinâvit. Ergo amicus ille: Quando, inquit, hoc conſilium non admittis, aliud tibi ſubjiciam: Agedum, ait, unà mecum ad templum adi, & à me pecuniæ illud erogatum ita profitere: *Domine non ego, ſed iſte dedit eleemoſynam.* Mox ego tibi in ſolidum triginta libras auri refundam. Grata fuit infelici hæc ſponſio. Ad templum abiit, ſed non rediit. Nam ubi in templo concepta verba pronuntiavit mox aurum ab amico in manus accepit. Iámque domum rediturus ad ipſum templi limen concidit mortuus, omnibus, qui præſentes aderant, ingenti horrore ac pavore correptis. O miſer! ut ſervares pecuniam perdidiſti animam. Ita & pecuniam & animam æternùm amiſiſti. Licet hîc cum Poëtâ vociferari:

*Prô ſuperi! multo Deus emit ſanguine ſervum:*
*Exiguo ſervus non emit ære Deum.*

O Chriſtiane, quiſquis es, ut unicam ſerves animam, perde vel immenſam, perde vel omnem pecuniam. Non eſt jactura, quam lucrum animæ comitatur; non eſt lucrum, quod animæ jactura ſequitur. Avaritiæ tenacitas dum locellis parcit, unum ſubinde florenulum condit, & mille acquirendos negligit. Opulentus, ſed ſtultus Nabal leviorem recuſat ſumptum, & vitam perdit. Petierat à Nabale David non ſubſidium grande, quo famem ſuorum militum ſolaretur. At Nabal erigens ſupercilium: *Tollam*, inquit, *panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum meorum, quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris quos neſcio unde ſint?* Sordidiſſime mortalium, non tantùm panes tuos egentibus dare, ſed & aquas tuas eiſdem propinare inter diſpendia numeras? Meritò percutiet te Dominus, *Cúmque pertranſiſſent decem dies, percuſſit Dominus Nabal, & mortuus eſt.* Deus homines tam avaros & im-

*Suprà notavimus.*

*1. Reg. c. 25. v. 11.*

*Ibid. v. 38.*



A

miſericordes ſpoliat bonis, ejicit templo, privat vitâ, excludit cælo, detrudit orco. Optimè dixit Gregorius: *Ficulnea ſine fructu terram occupat, quando mens tenacium, hoc, quod prodeſſe multis poterat, inutiliter ſervat.*

*Greg. parte 3. Paſtoral. admon. 22.*

Dicuntur faſcinatores tunc maximè venenum ab oculis jaculari, cùm eos figunt in parvulis, quibus necem afferunt, dum illis neceſſarii cibi faſtidium immittunt. Vnde fit, ut tales pueruli maternum uber repudient, fame ſitique contabeſcant. Pauperum faſcinator eſt homo avarus & immiſericors, qui torvo ac immiti oculo egenos verberans, illiſque panem & alimenta negans, cogit veluti veneno lento ſenſim tabeſcere, crudelis homicida. Si non paviſti, occidiſti.

*Refertur diſt. 80. cap. Palce, &c. ſerm. ad divites avar.*

Certiſſimum illud Hebræi Sapientis: *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & & non exaudietur.* Obturat, qui audire diſſimulat, qui aditum ad ſe negat, qui pauperum preces libelloſque ſupplices, ut ſibi moleſtos, aut repudiat, aut nauſeat. Sed norit iſte geminum ſibi malum imminere. Primum eſt; tandem & ipſum ea premet neceſſitas, quæ clamorem & ejulatum exprimet. Alterum eſt; clamabit, & non audietur, qui audire noluit. Solymæam purpuram in flammis ſitientem cernite. Inclamat Abrahamum Epulo; non auditur: rogat aliquem mitti Lazarum; non attenditur: ſtillam aquæ petit; negatur: è mortuis ad fratres mitti poſtulat; non mittitur. Clamavit, & non eſt auditus; clamabit æternùm, æternùm non audietur. Heu quàm rigidi ſunt Cælites! Memento fili, quòd Lazarus non ita pridem te inclamaverit, & à te auditus non ſit. Nunc mutatæ ſunt vices, tu Lazarum inclamas, & non audiris. Par menſura, talio juſtiſſima. Vaticinium Salomonis noveras: Aures in pauperum clamorem ſurdas ſimillimo ſupplicio puniendas; vociferantes non audiit, ergo non audiatur, cùm & ipſe vociferatus fuerit. Portæ inferorum ferreæ ſunt; avaros, qui ferrei pectoris fuerunt, claudunt. Immiſericordia pandit aditum ad gehennam.

*Prov. c. 21. v. 13.*

B

*Duplex malum avaris imminet.*

C

Per Ezechielem jam olim pronuntiat Deus: *Comploſi manus meas ſuper avaritiam tuam.* Tu manus auxiliatrices pauperibus ſubtraxiſti; erit cùm meas tibi porrigi voles, & non porrigentur. Non invenies manus, niſi pleniſſimas indignatione. Ideo jam eas ſuper te comploſi. Fruſtra clamabis; non audiam, non auditus.

*Ezec. c. 22. v. 13.*

Memorant virum ceterà modeſtum, ſed adeò mendicis aſperum, ut nec voces quidem rogantium æquis auribus toleraret, & ob eam cauſſam in remotiori ædium parte habitaſſe, ubi nullos mendiculorum quiritatus audiret. Illuxit demum ſuprema dies; naturæ conceſſit; amplo funere in templum elatus eſt. Sacris funebribus operari cœpit ſacerdos. Quoties autem ſolemne illud pronuntiaſſet: *Dominus vobiſcum*, toties imago Chriſti crucifixi, prodigio luculento viſa manus clavis eximere, & digitos ambabus auribus ingerere, velut indignaretur preces pro defuncto fuſas excipere, & tamquam omnibus atteſtaretur illud palàm: Non auditus non audio. Cognitâ penitùs cauſsâ prodigii tranquillior fuit in plebe admiratio. Vox omnium erat: Nemo preces pauperum repellat, ſurdus eſt Chriſtus ſurdis; auditus in ſuis audit; neglectus, repulſus, negligit, repellit.

*Ioan. Duegnius Hiſpan. Spec. Triſtium c. 1.*

D

At ego, inquis, ſi tot mendicorum clamores audio, & largiùs ſtipem erogo, rei familiaris non modicum perdo. Auguſtinum auſculta, hæc tibi verba divino monitu reponentem: *Quid ploras ſtulte pravi, aut non ſani cordis? Quare perdidiſti? niſi quia mihi non commodaſti? ſi dolet qui perdidit, hoc doleat, quia non ibi poſuit, ubi perire non potuit.*

*Aug. to. 8. in pſal. 36. mihi pag. 123. fine.*

At multi, ais, me multò ditiores minus eleemoſynarum dant quàm ego. Ne, quæſo, alienam culpam prætexas tuæ. Non ideò meliùs fit, quod à multis fit. Errantium multitudo errorem non corrigit. Et hîc illud Cypriani uſurpem: *Conſenſere jura peccatis, & cœpit eſſe licitum, quod factum eſt publicum.* Tot deparcorum hominum avaritia, fateor in publicos mores tranſiit; alter alterius exemplo perit. Sed iſtud non ideo honeſtum, aut utile cenſendum, quia multi id faciunt. Tu probos attende, non multos.

*Cyprian. ep. 2. ad Donatum.*

Sed iterum obducis: In ornanda templa mei ſeſe loculi pandunt, aras frontalibus convelo, parietes tabulis adorno. O te hominem mirificè liberalem! ſaxa veſtis, & domeſticum malè veſtitum non operis: parietes templorum ornas, & ſervos tuos ac ancillas fame crucias. Obſecro, liberalitatis ordinem obſerva, & vivis Chriſti membris primam impende curam; hinc tranſire ad alia licebit.

Dum Moyſes colloquiis divinis ſuaviter in monte paſcitur, plebs Iſraëlis impatiens moræ, jámque Aaronem compellans: *Fac nobis Deos*, inquit, *qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terrâ Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Reſtitit Aaron iniquiſſimæ petitioni, & quò magis populum abſterreret ab hac inſaniâ, exadverſum & ille petiit, quod arbitratus eſt ægerrimè concedendum. *Tollite*, ait, *inaures aureas de uxorum, filiorúmque & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me.* Verborum interpres Auguſtinus: *Intelligitur*, inquit, *præcipere Aaron difficilia, ut hoc modo eos ab illâ intentione revocaret.* At ſecus omnino, quàm putaverat, evenit. Nam populus ad dandum promptiſſimus certatim aurũ contulit. Inde vitulus, inde idolum: Quòd ſi Aaron hanc auri molem in eleemoſynas, aliámve piam molitionem petiviſſet, cunctatores indubiè habuiſſet, fortaſſis vix inaures pauculas, aut nullam accepiſſet. Ad conflandum idolum liberaliter fluit aurum. Ita paſſim in orbe res geritur. Ad aucupium honoris, ſatis eſt auri, ad illicium voluptatis non deeſt moneta, ad pompæ apparatum ſuppetit argentum, ad veſtium luxum pecunia in promptu eſt, ad conviviorum ganeam nummi copioſè fluunt; ad dandas eleemoſynas nil æris ſupereſt, hîc Tagus & Pactolus omnis exaruit. Ad fabricanda idola aurum propinat arca; cùm juvandi ſunt pauperes, omnium arcas obſerat mentita paupertas. Vos hinc apagite; nemo domi eſt; exulat pecunia, Deus juvet; quid nos prece querulâ fatigatis? jam diximus, nemo domi eſt.

*Exod. c. 32. v. 1.*

*Ibid. v. 2.*

Ad pompę apparatũ, ſuppetit argentum ad dandas eleemoſynas nil ęris ſupereſt.

Expectate paullulum, brevî & vos ipſi clamabitis: & nemo domi erit: pulſabitis, ſed fruſtra; Cælites non erunt domi: aditum rogabitis, ſed reſpondebitur: *Neſcio vos*, faceſſite, non ſum domi. *Judicium ſine miſericordiâ illi, qui non fecit miſericordiam.* Sed hæc, inquies, & plura talia jam ſuprà monuiſti. Memini, mi homo, ſed & te velim meminiſſe, hæc centies moneri, immiſericordiam millies reprehendi, vix umquam emendari. Pauperculæ viduæ in judicem iniquum & in cauſſis ceſſatorem validiſſimus fuit aries, *Importunitas.* Hîc idem faciendum.

*Matt. c. 25. v. 21.*
*Jac. c. 2. v. 13.*

*Luc. c. 18. v. 5.*

## § IV.

QVartum: *Benigni ac liberales pauperum patroni copioſiſſimè remunerati*, Nimirum Chriſtus naſcitur in Bethlehem, hoc eſt, in domo panis. Illos potiſſimùm homines, familias illas, urbéſque Chriſti gratia inundat, quæ Cerealis domus & refugium panarium ſunt pauperibus, quos crebris largitionibus adjutant. An non Zachæi familiam hæ voces commendant? *Hodie huic domui ſalus à Deo facta eſt.* An non Chriſtus eum hoſpitem quærit, qui bonorum dimidium pauperibus tribuit? an non, ut Ambroſius loquitur

Liberales pauperum patroni copioſiſsimè remunerati.

*Luc. c. 19. v. 9.*

A apud hunc ipſum non invitatus ſe invitat, qui ſciebat hoſpitis ſui uberem eſſe mercedem? an non Cornelius Cæſareæ Centurio, cum omni familiâ his ipſis artibus factus eſt Chriſtianus? *Erat enim vir religioſus, ac timens Deum cum omni domo ſuâ, faciens eleemoſynas multas plebi.*

*Act. c. 10. v. 2.*

Cameracenſis proëpiſcopus, qui ævi ſui admiranda ſcripſit, de viro principe bonâ fide commemorat narratu digniſſima. Theobaldus Bleſenſis ac Carnotenſis Comes ex omni Gallicâ nobilitate liberaliſſimus iter fecit mediâ hieme, quæ tunc ſolito fuit auſterior. In viâ Theobaldus obvium habuit mendicum ſeminudum & algẽtem. Hic voce altâ Comitem inclamans ſtipem petiit. Cui humaniter Comes: Quid tibi ſingulariter, inquit, vis dari. Huic pauper: Da, obſecro, ait, vel capiti tegmen. Non diſtulit Comes & ſuum ipſe cucullum dedit mendico, unáque addidit: B Pete, ſi quid vis amplius: ille audacter: Da exteriorem, inquit, tunicam tuam. Promptè dedit. Acceptâ illâ, mox iterum mendicus: Adde, obſecro, ait, etiam interiorem: mea nuditas poſtulare hæc cogit. Dedit & iſtam Comes. Continuò flebili voce mendicus: Mi Domine, inquit, precibus meis ignoſce, & en caput glabrum & ulceroſum; adde igitur & pileum. Hîc Comes paullulum erubeſcens, nam & ipſe calvus erat: O bone, inquit, nimiùm premis petendo; darem & pileum, ſed eo carere non poſſum. Quo dicto pauper relictis veſtibus evanuit. Hîc Comes ex equo deſiliens, & in omnem partem ejiciens oculos lamentari cæpit & pectus pugnis plangere, fugam mendici tam divitis revocatum cupere, ſua omnia in donum, ſeipſum in ſervum & mancipium offerre, omne obſequium ſpondere. Sed mendicum querimoniis non retraxit. Hoc denique Theobaldus apud animum ſuum ſanctiſſimè ſtatuit, nulli deinceps pau- C perum ſtipem petenti negare, ſed facere quod Dominus jubet: *Omni petenti tribue.* Nec Chriſtum ſenſit immunificum. Nam hic ipſe Theobaldus Comes ad mendicum fœdâ leprâ deformem creberrimè reviſit. Nec enim umquam leproſi hujus tugurium tranſiit quin diverteret, affatu recrearet, ſolatiis mulceret, eleemoſynis juvaret. Fuit, ut abſque arbitris, quod ſolebat, caſam illam ingrederetur. Sed contrà quàm ſperare potuit, virum valetudinis integerrimæ invenit. Novâ viri ſpecie obſtupefactus, & diutulè hæſitans, num ſuis oculis haberet fidem, ambigebat. Hîc perſonatus pauper: Ego, inquit, leproſus ille ſum; naturæ debitum ſolvi, paupertatem & lepram deliciis cæleſtibus commutavi. Tuæ verò in me ceteróſque pauperes liberalitati Deus ampliſſimè reſpondebit. Hoc age, ac perſevera. Theobaldus incredibili gaudio elatus abiit domunculâ. Abeunti quidam è familiaribus: Illuſtris domine, inquit le- D proſus ille quem quæſiiſti, pridem obiit. Theobaldus arcanum hoc cautè diſſimulans: Deus, inquit, pios manes ſoletur.

*Thom. Cantiprat. l. 2. de miraculis ſui ævi c. 25. n. 14. & 15.*

*Supertunicale, ait ſcriptor.*

*Luc. c. 6. v. 30.*

Deficere neſcit, cui manum porrigit acceptor è cælo. Habet etiamnum imitatores Theobaldus, ſed paucos; habet imitatrices, ſed raras. Leonora Auſtria Imperatoris Maximiliani II. ſoror, Rudolphi II. amita lectiſſima & pientiſſima femina, eo affectu in alienam pauperiem ferebatur, ut nulla mater tam unicè ſuos, quàm illa veros pauperes diligere viſa ſit. Nam ut iis tantò largiùs conſuleret, pecuniam è ſuis veſtibus gemmiſque redegit. Veſtem linteam non modò corporum, ſed ipſis etiam culinæ uſibus (quæ illius ſingularis ſubmiſſio fuit) ſuis ipſa manibus conſuit, eáque in re nobiles pediſſequas adſcivit adjutrices. Cúmque morbo impedita ceſſare ab opere cogeretur, nihil tam dolebat, quàm quòd cum ceteris feminis acum ducere non liceret. Hæc ejus liberalis pietas latiſſi-

*Annus Nicolai Orlandini anno 1584.*

latiſſimè patuit, per omne genus hominum pervagata. Nullum illa tempus opitulādi miſeris prætermiſit. Publica noſocomia, & privatorum ædes, in quibus ægros eſſe compererat, interviſit, idque tanto ſtudio & alacritate, ut nemo umquam vel tenuiſſimus ejus optârit officium, cui non illa perbenignè contulerit. Nocte intempeſtâ ſæpius ſurrexit de cubili, ut adeſſet ægris; ſæpe cum iis triduum quatriduúmve traduxit. Ingenuéque confeſſa eſt aliquando viro religioſo, cùm ille fortè prodeunti foràs interveniret, ſe quidem auræ captandæ gratiâ egreſſum ſimulare; re tamen verâ, ad feminam prodire graviter affectam: Quæ quoniam in me, inquit, ſecundùm Deum ſpes ſuas habet, bonæque, ut audio, æſtimationis eſt, faciendum mihi cenſui, ut eam hodie conviſam. Multa inſuper ad ægros domo miſit, quæ in eorum uſus ſuis ipſa manibus apparavit. Nam & bellariorum, & aquarum, & olei complura genera, ægrotorum cauſsâ domi confecit. Sæpéque factum eſt, ut moroſos abigeret morbos, ægróſque diuturnâ medicorum arte deluſos domeſticis tantùm præſidiis ac curationibus ad priſtinas vires revocaret.

En Eliſabetham redivivam, matrem pauperum benigniſſimam. Verè de regiâ hac feminâ dici poterit: *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die noviſſimo.* Verè

*Prov. c. 31. v. 20. & 25.*

*Hoc homo ſibi reponit, pauperi quod erogat.*

*Vetus Trochaich.*

Quid memorem Bartholomæum Regem in Iapone, qui patri ſuo regiè parentavit pauperum conviviis. Conſuevere Iaponii Principes manibus mortuorum decemdialia ferè ſacra, non ſine magnâ Bonziorum prædâ ſagináque perſolvere. Bartholomæus Rex, parente, qui eum adoptârat, mortuo, pro exequiis illis Bonziorúmque helluationibus, totidem dierum epulum, ſex millibus pauperum præbere inſtituit: partim ut ſibi ipſi, quoniam impio parenti non poterat, divinam gratiam conciliaret; partim etiam ne poſt Christiana ſacra ſuſcepta, priſtinæ benignitatis atque clementiæ oblitus eſſe videretur.

*Io. Petr. Maffejus, l. 3. ep. Indicarum, mihi pag. 105.*

*Damaſ. l. 1. de imaginibus.*

Benignitas in pauperes Chriſtianum & facit & perficit. Euſtachius certè Trajani Cæſaris Magiſter equitum his ipſis artibus in Chriſtianam religionem penetravit. Nam ei, cùm in venatu cervum ardentiùs inſequeretur, inter feræ cornua crucifixi Servatoris effigies eſt objecta; quæ arcano afflatu monuit, futurum ut ob beneficentiam in pauperes Chriſtianis accenſeretur. Ita qui largitate juvit miſeros, religione receptus eſt inter beatos.

*Benignitas in pauperes Chriſtianũ facit & perficit.*

Euphemianus Romanus, ſenatorii ordinis vir opulentus, & Aglaë conjux ejus improles, quotidie ſtructis menſis pauperculos reficiebant, iiſdémque ipſimet miniſtrabant. Quo pietatis cultu parentes eſſe meruerunt Alexii, qui novis mundum artibus deluſit. Hoc filio in lucem edito pari conſenſu continentiam ſervârunt. Tam fœcunda fructuum eſt eleemoſyna, ut ſterili partum, partui ſanctitatem, parentibus caſtitatem, omnibus paradiſum dederit. Oraculum eſt minimè fallax: Benigni ac liberales pauperum patroni copioſiſſimè ſemper remunerati ſunt.

*Quod jam ſuprà ſæpius inculcatum eſt.*

Et profectò eleemoſyna noſtra plus habet obſequii divini, quàm beneficii noſtri. Teſtatus hoc affirmatiſſimè Ambroſius: *Beneficium largientis*, inquit, *præbenti magis permanet quàm ſuſcipienti. Nam miſericordia quidem ad indigentem pervenit, gratia autem multiplicatæ mercedis permanet tribuenti. Eſurienti dediſti panem: ille quidem paſtus & refectus, ſed ad te redit, quod dediſti, cum fructibus & uſuris.*

*Ambroſ. to. 5. ſerm. 81. mihi pag. 892.*

Marcellus Archimandrita cœnobii Acœmetarum, hoc eſt, Non dormientium, juſſerat tribus Epiſcopis è captivitate redeuntibus, quidquid auri ſupereſſet, dari. Oeconomus fatuè prudens, & perniciosè ſagax è decem aureis dedit novem retento uno in uſus alios. Non multo pòſt tempore ad Marcellum venit, qui novem talenta dono tulit. Accepit ea vir ſanctus, & gratias egit. Mox œconomum ad ſe accitum acriter objurgans: En, inquit, homo avare, fructum ſtultæ parſimoniæ. Ab hac eſt, quòd uno talento minus accepimus, dena utique accepturi, ſi tu, quod juſſus es, dediſſes decem aureos. Avaritia eſt, non parſimonia; diſpendium eſt, non lucrum, pecuniis in egenos tribuendis parcere. E diverſo benignitas in pauperes copioſiſſimè ſemper remunerata.

*Aloyſius Lipoman. tom. 5. è Sim. Metaphraſte. Apud Surium die 29. Decem.*

Narrant fuiſſe Romæ virum, qui beneficentiâ & liberalitate reculas ſuas ita imminuerit, ut egeſtatem illi tulerit ſenectus. Tempori Deus adfuit. Nam hic ipſe paterfamilias arcanâ voce ſemel iterúmque ac tertiùm noctu monitus eſt, ſuam vineam cum hominis opulenti, qui nominabatur, vineâ permutaret, & in ejus medio altum foderet. Paruit; vineam permutavit, cum familiâ loco, quo juſſus, fodere cœpit. Filius cum ſororibus ab opere jam defeſſus: Quid, pater, nos fruſtra fatigas? inquit: nullum theſauri ſignum ſe prodit. At pater illos animans: Agite, inquit, mei liberi, pergamus aliquantulum fodiendo; promiſſa Dei non ſolent fallere; pergamus. Nec vanus labor. Demum inter rudera vas marmoreum, quod balſamum & aliquot nobiliores gemmas claudebat, erutum eſt. Grandem inde pecuniam paterfamilias redegit, cum aſſiduâ gratiarum actione teſtatus, minutulos hoſpitalitatis ſuæ ſumptus, multò quàm abundantiſſimè & millecuplo fœnore ſibi repenſos.

*Cantiprat. l. 2. c. 21. n. 2. hoc copioſè narrat.*

## §. V.

EX his talibus excitatiora non immeritò multorum certant ſtudia; crumenam laxant & vacuant, ut eam metallo repleant nobiliore, aut divinos certè favores & theſauros cæleſtes augeant. Hinc eleemoſynæ complurium largiſſimæ. Civis Peruanus, tametſi res ei familiaris non valdè ampla eſſet, & quæ adeò vix neceſſariis ſumptibus ſufficeret, plures tamen ducentis aureis fidentiſſimâ manu in pauperes erogavit. Veſtem, quam ei vir nobilis dono dederat, vendidit, & viduæ unius inopiam ſublevavit.

*Anno 1603.*

Modicus Olomucii moriens fortunas ſuas ferè omnes Partheniæ ſodalitati fidei commiſit, ut inde pauperes alerentur.

*Anno 1583.*

Hildeshemii quidam ferè pane ſolùm & aquâ victitans, genium rigidè defraudans, tantum pecuniæ unciatim comparſit, ut quinque aureos collegerit, quos liberalitate tam piâ quàm magnâ in ſtipem expendit. *De magno ſumere acervo ſuave eſt ac facile*; res nota. Sed, de *penuriâ ſuâ totum victum ſuum mittere*, hoc verè heroicum & illuſtre. Vidua id fecit, quæ plus quàm omnes Gazophylacio intulit. Nemo liberaliùs erogat, quàm qui ſibi nihil reſervat.

*Marci c. 12. fine, Luc. c. 21. init.*

Confluentiæ quidam cùm alia in alios partiretur, toto quadragintadiali jejunio, ſex egentioribus, quibus anguſta domi res erat, quotidie cibaria ſubmiſit. Quod ſtatis per hebdomadem diebus ad imitandum alii quoque ſibi ſumpſerunt.

*Anno 1585.*

Oenipontanus civis honeſtus poſtquam in cœtum albúmque Marianum relatus eſt, ſingulis dominicis ac feſtis diebus duos pauperes in cultum ac honorem Matris Virginis, menſæ ſemper adhibuit. Hoc eſt levibus impendiis, aut nullis, maximos quæſtus facere.

Vxorem domum ducturus civis Brunēſis, vir dives & eruditus, nuptias feliciter auſpicatus eſt. Nam cùm pro more ſacris epulis priùs accubuiſſet, triduo poſt trecen-

*Anno eodē. Ita Sodalis Parthenius l. 2. c. 12. & 13.*

trecentos pauperes benignè admodum mensâ excepit, quibus ipſe & ſponſa miniſtrandis ferculis inſervierunt.

*Petrus Iarricus to. 1. Rer. Indicar. lib. 2 c. 15. mihi pag. 573.*

Hæc pauperum cura ipſius naturæ viſceribus adeò videtur inſita, ut ea etiam diſciplinæ Chriſtianæ ignaros plurimùm afficiat. In Cambajano Indiæ regno non liberales ſolùm, ſed & effuſi ſunt in pauperes. Præcipuè octavum Januarij diem ejuſmodi largitionibus colunt. Cambajæ, quæ regni metropolis eſt, aliqui mille aureos die uno, alii tria millia, ſunt qui quinque millia pardarum (quorum ſinguli quindecim regalibus valent) in pauperes effundant; adeò ut in unâ urbe, die unico viginti millia, per regnum totum centena millia pardarum erogentur. Cauſſa ipſis iſta eſt, quòd eo die ſolem ab Auſtro ad Boream converti, & ad ſe tranſire credant, cujus adventum par ſit tot donariis venerari. Dant etiam eleemoſynas, quibus Deum ſibi concilient, ut ab ipſo in cælum recipiantur. B En naturæ igniculos etiam in barbaris gliſcentes, quibus valde in honeſtiſſimam hanc pauperum curam impellimur. Non eſt profectò in orbe ullum ſecurius tutiúſque horreum ventre egenorum. Veriſſimum quod veteri verſu cantatur:

*Trochaicus vetus.*

*Noſtra non damus pauperibus, quæ damus, Deo damus.*

*Marcus Marul. par. 1. lib 1 c. 2. mihi pag 21.*

*Chryſ. to. 1. ho. 7. de pœnit. mihi pag. 749.*

Qui pauperem exaudit, aures cæli aperit, & ad ſe trahit. Quàm verè igitur cum Chryſoſtomo oratore aureo ſcriptor ſapiens pronuntiat: *O prægrandis eleemoſynæ virtus! divites ſanctificat, pauperes beat, peccatores juſtificat, juſtos glorificat, mortuos ſuſcitat, & immortalitatem mortalibus donat. Eleemoſyna, Charitatis ſoror, Egenorum vita, Sanctimoniæ antiſtita, Virtutum regina,* Cęli ſcala, Scelerum lavacrum, tam danti quàm acceptanti præſidium, Lucrum ex omni quæſtu lucroſiſſimum, Augmentum facultatum, & rerum omnium.

## §. VI.

Eleemoſynarum largitio eſt varia.

*Aug. to. 8. in pſal. 125. mihi pag. 605.*

C E*Leemoſynarum largitionem eſſe variam.* Auguſtinus id affirmans: *In quo quiſque pauper eſt,* inquit, *ibi illum vide, quia fortè tu in illo dives es, in quo ille pauper eſt, & habes unde accommodes. Fortè membra tua accommodas, & plus eſt quàm ſi pecuniam accommodares. Conſilio indiget, tu plenus es conſilio. In conſilio ille pauper, tu dives es. Ecce nec laboras, nec aliquid perdis: das conſilium, & præſtitiſti eleemoſynam.* Idem in ceteris.

*Chryſ. to. 3. hom. 25. in c. 11. Act. Apoſt. mihi pag. 528.*

Græcanicus aureus orator hos ipſos in dandis eleemoſynis diverſos modos commonſtrans: *Eleemoſyna,* inquit, *non in ſolis fit pecuniis, ſed etiam in operibus, ut, exempli gratiâ dicam, eſt patrocinari, & viduæ manum porrigere. Hujuſmodi enim patrocinium ſæpè plures ſervavit quàm pecuniarum largitio. Igitur in præſenti tempore omnia miſericordiarum genera exerceamus. Ne ſis ſegnis, potes patrocinari; ne dicas, quoniam pecuniæ mihi non ſunt. Hoc nihil eſt dicere. Potes miniſtrare, etiam hoc facito; ut puta medicus es arte, diligenter cura infirmos, eſt etiam hoc magnum. Vales etiam conſilio, hoc omnibus majus eſt, melius & amplius, quantò &* D *majus habet lucrum. Non enim famem ſolvis, ſed difficilem mortem.*

Largitiones illas publicas, uti non vituperem, ita nec valde laudem. Nam iis neceſſariò confuſionis aliquid & imprudentiæ miſcendum. Etenim tam robuſtis quàm debilibus, ſicut claudis ita & integris ac validis, ſenibus & adoleſcentibus, pauperrimis, & leviter egentibus æquale datur, cùm in tantâ ſe comprimentium multitudine diſcrimen penuriæ nequeat obſervari. Ita omnibus vel panis, vel ſeſtertius, vel aliquid eduliorum aliúdve diſtribuitur; æquales hîc omnium fortunæ ſunt. cùm in aliis eleemoſynis, quæ quotidie ac ſingulis horis expenduntur, facile ſit miſeriorem à miſero diſtinguere, & prout utriuſque ſuaſerit neceſſitas utrique ſuccurrere. Quod ævo Apoſtolorum ritè obſervatum; *Dividebatur enim* A *ſingulis, prout cuique opus erat.* Otioſi fuci, ſi tales eſſe certò conſtet, ab eleemoſynis arcendi. Deinde cùm publicæ dantur eleemoſynæ, contingere poteſt, ut potus diſtribuatur, cùm ego eſuriam; aut cibus, cùm ego ſitiam; aut pannus, cùm ego cibo indigeam. Prætereà quid inde peregrinis & advenis accedit, qui conſtitutis diebus & horis adeſſe nequeunt? Cùm ii tamen ſæpiùs majori neceſſitate quàm inquilini & cives laborent? Num ei fame moriendum, qui ſtato die viſcerationi nequiit intereſſe?

*Act. c. 4. v. 35.*

*Veſ maximi eſt, puſilla res loco data.*

*Heſiod. l. 2. operum & dier.*

Solent ditiorum aliqui receptâ conſuetudine certis temporibus eleemoſynas diſtribuere, ut feſtis Naſcentis aut Reſurgentis Chriſti diebus, aut Lunæ, Mercurii, Veneris, aut certis horis, manè, circa prandium. Extra ea tẽpora, nihil neque peregrinis, neque inquilinis largiuntur. Clauſa eſt janua, portæ omnibus obſeratæ, aures ſurdæ & inexorabiles. Liberalitas B laudanda; ſed pace illorum dixerim; non ea quæ talibus cancellis eſt clauſa. Nimiùm molles aut teneri ſumus, ſi non qualibet horâ gemitus & vociferationes miſerorum audire ſuſtinemus. Tam anguſtis limitibus vera miſericordia ſe claudi non patitur. Turpe prorſus & indignum eſt Chriſtianis moribus, momento ullo triſtem aſpectum aut ſterilem manum pauperis ſubterfugere. Iſaiæ obtemperandum jubenti: *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagóſque induc in domum tuam, cùm videris nudum, operi eum.* Tunc panem frange, tunc hoſpitium præbe, tunc veſtem expande, cùm famelicum, cùm tecto excluſum, aut malè veſtitum videris, non quando tibi commodum putaveris. Certas loci aut temporis leges non habet miſericordia. Cùm neceſſitas vocat, in ſubſidium accurrit, non faſtos, non horologium conſulit, non dies candidos, non nefaſtos, ſed præſentem inopiam attendit. Non eſt vera liberalitas, quæ certis horulis arctatur. Non tamen im- C probamus largiores eleemoſynas religioſioribus diebus, uti ſunt dies Veneris, Solis, feſti dies alii, dummodò dies ceteros non exleges miſericordiæ faciamus. Siracidæ illud, quod ſuprà copioſiùs demonſtratum eſt, ante omnia obſervandum: *Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum anguſtianti.* Ne differ, ne procraſtina; Da citò, da ſine morâ. Quò lentiora ſunt beneficia, hoc plerumque ingratiora. Prompta manus, cùm ſtipe plena eſt, manus aurea, manus gemmea eſt. Mixtura pulcherrima, liberalitas & celeritas.

*Iſa. c. 58. v. 7.*

*Parte 2. 1. § 3. Dec. to.*

*Eccli. c. 4. v. 3.*

## §. VII.

*Heraclides in ſuo paradiſo apud Roſvveid. c. 2. mihi pag 942.*

Eleemoſynæ nô ſunt evulgādæ.

SEd & illud veræ liberalitatis indoles præſtat, eleemoſynas non nimis accuratè numerat. Melania, femina laudatiſſima, cùm Alexandriam profecta, ad Pambonem magni nominis ſenem perveniſſet, trecentas argenti libras ei obtulit. Cùm autem laudis aliquid aut fauſtæ precationis expectaret, diceretque: D Scito, Domine, trecentas argenti libras hâc ciſtâ clauſas. Mox eam Pambo vanæ ſollicitudinis ingenuè notans: Scito, inquit, & tu quoque filia, eum, cui hæc dediſti, non indigere tuâ commonitione: nec enim opus eſt, ut Deo eleemoſynarum noſtrarum numerum, pondus, pretium ita ſubtiliter ad calculos revocemus. Qui montes lançe ponderat, utique ſciet etiam, quod hujus argenti pondus ſit. Atque ſi quidem mihi hoc offerres, non abſurdè pretium doni ac monetæ diceres: cùm autem iſtud non mihi, ſed illi offeras, qui duos nummulos auri acervo prætulit, tu jam tace, & quieſce.

Atque hoc eſt quod toties inculcat Chryſoſtomus, eleemoſynas largiter dandas; neque enim, ut ille judicat, dicenda eſt eleemoſyna, quæ fuerit parca. Quod Eccleſiaſtes indicans ſub imagine: *Si,* ait, *repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent.* Quiſquis hominum

*Eccleſ. c. 11. v. 3.*

num ut nubes in alto volat, & animo cælum habitat, ſat ſibi dives, ſat plenus eſt: omnia ſibi à Deo eſſe, Deúmque omnia ſolere largiter reſtituere non neſcit, hinc uti prægnans aquarum nubes effundit pluviam, ſpargitque guttas nemini facilè numerabiles. Quod avarus dat, hoc invito & reluctanti animo, hoc malignâ & contractâ, hoc compreſsâ manu potiùs exprimit, quàm tribuit. Avarus nubes eſt, non ſuaviter rorans, ſed fulgurans, grandinoſa, fulminans, quæ pauperes conuiciis & exprobrationibus infundit ac dejicit.

Ad hanc largitionis cùm liberalitatem, tum celeritatem ſpectat multiplex dandi modus, uti eſt: Non petentem, nec occurrentem vocare ac invitare; venienti occurrere. Salomone teſte, *dives & pauper obviaverunt ſibi*. Non enim minori alacritate à divite pauper excipiendus, quàm à paupere dives quærendus. Prætereà de abſentibus etiam bene merendum: & is ſubinde, qui alienam opem nec cogitat, nec ſperat, antevertendus beneficientiâ. Dulcior ac pretioſior eſt eleemoſyna, quo minoris ſtetit accipienti, cùm nec poſtulatione, nec precibus, nec expectatione ſuſpenſi animi eſt empta. Chriſtiano ſenſu Seneca: *Melius eſt*, inquit, *occupare antequàm rogemur. Quia cùm homini probo os concurrat, † & ſuffundatur rubor; qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus ſuum. Non tulit gratis, qui cùm rogaſſet, accepit verbum moleſtum, oneroſum, & demiſſo vultu dicendum*, Rogo: *nec res ulla cariùs conſtat, quàm quæ precibus empta eſt. Ideo diuinanda cujuſcumque voluntas, & cùm intellecta eſt, neceſſitate graviſſimâ rogandi liberanda eſt. Serò beneficium dedit, qui roganti dedit. Illud beneficium jucundum victurúmque in animo ſcias, quod obvium venit.* In aulis hoc nimis quàm infrequens: delectat regiæ aut principalis potentiæ miniſtros moroſitatis ſuæ longum ſpectaculum; minúſque ſe judicant poſſe, niſi diu multúmque ſingulis, quid poſſent, oſtentent. Pæne nihil confeſtim faciunt. Injuriæ illorum præcipites, lentiſſima ſunt beneficia. Aulas ingredere; dilationes & procraſtinationes illic cernes quotidianas, innumeras. *Vos autem non ſic. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.* Aliter filios ſuos erudit cæleſtis pater, qui non ſolùm orationem conceptis verbis nitidam, non gemitus ſolùm & lacrymas, ſed ipſum etiam deſiderium pauperum exaudit, imò ipſam indigentiam pro deſiderio & prece habet.

Prov. c. 22. v. 2.

Senec. l. 2. de Benef. c. 1. & ſeqq.

† Proprium ingenuo pudori verbũ; u coit, & ægrè diducitur.

Luc. c. 22. v. 26. Iac. c. 3. v. 10.

Cùm igitur hæc ſciamus, aut certè ſi neſciamus, cùm hæc centies & ſexcenties occententur neſcientibus, quid demum eſt cauſſæ, obſecro, quòd eleemoſynas tam timidâ parcáque manu porrigamus? Hoc plurium cauſſarum caput eſt, promiſſis Dei non credimus, providentiæ divinæ non fidimus, chirographum illud non expendimus. Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. Hinc oſcitantia & trepidatio. Hinc malumus pecuniam non perdere, quàm cælum tam vili emere, malumus noſtras ciſtulas quàm divinam gratiam augere, modò nunc nihil deſiat, quidquid futura ferant ſæcula. Ah fatui! quàm nihil audemus quod proſit? quàm ſtultè trepidamus? Et quoties illud inculcandum? Sic dare, eſt accipere. Fidamus Deo, & audeamus; demus liberaliter, liberaliſſimè recepturi millies plura, millies meliora. Hunc ſteriliſſimum, imò & ſtultiſſimum timorem noſtrum increpans Auguſtinus: † *Numquid perdes*, ait, *in theſaurario Chriſti ponens*? *Nam pueri, unde ſibi emant neſcio quid, ſimul ac inveniunt nummos, in theſaurario ponunt, & non aperiunt niſi poſtea. Numquid quia non vident quod colligunt, ideo perdiderunt? Noli timere. Ponunt pueri in theſaurario, & ſecuri ſunt; ponis in manu Chriſti, & times? Eſto prudens, & proſpice tibi in poſterum in cælo.* Hoc multi cupiunt, pauci didicerunt, dum ſementi parcunt. O Chriſtiane, ſementi ne parce. Velimus, nolimus, ſeneſcimus. Tibi ergo para viaticum, itineri tam longo neceſſarium, imò præmitte in cælum, quod dimiſſurus es invitus. Extremæ ſtultitiæ eſt hìc aliquid rerum tuarum relinquere, quod tutò poſſis in cælum præmittere. Negas egenis ſportulas & numulos? Hæredes inter plauſus rapient totum, quod fuerat tuum & non tuum, ſed malè partum, idque ludis, epulis, pompis conſument. Tu tibi ipſe propinquiſſimus es, teipſum primò hæredem ſcribe. Cælum hæreditas opulentiſſima, quia æterna; modicis jam impendiis emenda.

Cùm ergo Veritas prædixerit: *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum*, ergo iis ſemper benefaciamus. Sanguis Martyrum, ſemen Chriſtianorum, pia liberalitas ſemen eſt opum; donare Deo, eſt accipere.

*Da veniam, Lector, ſi quædam bis terve dicãtur. Subjicio rationes. 1. Sũt certè aliqua quæ etiã ad faſtidium & nauſeã inculcanda, repetenda, animis infigẽda, & vel ſexcenties, ut dixi, occinenda. 2. Subinde memoria delictum ſit; nec excuſo, ſed veniam precor. 3. Quædam uno loco ſtrictiùs, alio illa eadem fuſiùs perſcripta, prout res poſtulabat, aut libri ad manus erãt. 4. Nonnulla valdè diverſis, & à ſe disjũctis, belli temporibus ſcripta ſunt.*

† *Aug. in pſ. 48. mihi pag. 183.*

* *Ioan. c. 12. v. 8.*